DUODECIM SCINTILLÆ, EX ARDENTI PECTORE ET CORDE JESU CRUCIFIXI, SANCTISSIMISQVE EJUS VULNERIBUS, SUPER SODALES CONGREGATIONIS CHRISTI IN CRUCE AGONIZANTIS.

SIVE

DUODECIM EXHORTATIONES PRO SINGULIS MENSIBUS ANNI,

Ad excitandos eoſdem Sodales ad devotam Orationem Roſarii quinque SS. Vulnerum, pro obtinenda ſancta morte:

Deſumptis motivis è memoria Noviſſimorum, Mortis, Judicii, Inferni, Paradiſi & Æternitatis.

AUCTORE

R. P. PHILIPPO KISELIO FULDENSI, E SOCIETATE JESU.

M. DC. LXX.

BAMBERGÆ,

Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOLINI.

JESU CRUCIFIXO,

SANCTÆ MORTIS PROTOTYPO,

MATRI DOLOROSÆ,

AGONIZANTIUM ADVOCATÆ,

ANGELO TUTELARI, S. JOSEPHO,

S. BARBARÆ,

MORIENTIUM PATRONIS.

IESU Crucifixe! scintillas, quas ex tuo pectore, & ardentissimo Corde hausi, ad aram Crucis, & focos quinque Sanctissimorum Vulnerum repono. Illis scintillis ardere cupio, meditatæ mortis, aliorumque novissimorum perpensorum Affectus: quibus Sodalium meorum corda inflammare cupio, ut ardeant amore JESU Crucifixi; donec ad hoc Sanctissimæ Mortis Arche-

typum, Spiritum noſtrum tradamus in manus noſtri Creatoris, & amantiſsimi Patris!

Virgo MATER DOLOROSA! tu iſtud agas, Filii Crucifixi plagas, quas cordi meo infixiſti, Sodalium quoque meorum cordibus infige validè, ut ſentiamus vim, & doloris, & amoris ejuſdem Crucifixi, donec ſub pallio maternæ tuæ protectionis, animas noſtras expiremus in dulce Latus Salvatoris.

Mi ANGELE CUSTOS! S. JOSEPHE! S. BARBARA! ſupremi agonis noſtri Cœleſtes Agonothetæ! vos! de ſuo, aliorumque agone ſollicitos Sodales, & me protegite: in ipſo potiſsimum Vitæ, ac mortis Horizonte; ut exeunte hinc anima, Patrocinium veſtrum cuſtodiat Spiritum noſtrum; Ecce nunc, pro tunc, illum in manus veſtras commendamus, ut eundem ad thronum gratiæ, & gloriæ offeratis Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ut ex cœtu Sodalium CHRISTI in Cruce agonizantis tranſlati, ad Concilium, & Congregationem Sanctorum, Sanctiſsimam Trinitatem æternùm laudemus.

EXHOR-

EXHORTATIO I.

PRO MENSE JANUARIO.

Statutum est hominibus semel mori.

Ad Hebr. 9. v. 27.

Synopsis Exhortationis.

EXhortatio hæc supponit vivum actum Fidei, de certitudine, & incertitudine mortis, cujus memoria inflammare nos debet ad ferventem Orationem.

§.1. *Ad devotam orationem Rosarii quinque sanctissimorum Vulnerum, excitare nos debet mortis certitudo, & incertitudo.*

§.2. *Idem facit memoria momenti, quo ingredimur æternitatem.*

§.3. *In agone, ob morbos corporis, difficile est orare: Oremus dum sani sumus.*

§.4. *Imago mortis est terribilis.*

§.5. *Memoria mortis est utilissima.*

§.6. *Orationi Rosarii, præmittendi sunt actus Contritionis, & propositum non peccandi.*

§.7. *Ex versu 16. Psalm. 30. explicatur, quàm mors hominis sit improvisa.*

§.8. *Quare mors vocetur sors: bona, vel mala.*

§.1. *Ad devotam orationē Rof. 5. SS. Vulnerū, excitare nos debet mortis certitudo, & incertitudo.*

CItata verba S. Pauli Apostoli nos omnes, nemine excepto, concernunt, sodales mei amantissimi; omnes enim moriemur! aliqui fortassis intra paucos menses; fortassis ego post paucas septimanas: fortassis aliqui adhuc citius, intra paucos dies; potest fieri, ut aliquis ex hoc numero, hâc horâ adhuc, à repentina morte obruatur. Hæc certissima sunt! hæc credimus! & nunquid æquum est, ut secundùm consilium, & præceptum æternæ Veritatis, singulis mensibus, singulis septimanis; si fieri potest, singulis horis vigilemus & oremus; ut quâcunque vigiliâ, quocunque momento, moriendum nobis erit, moriamur sanctè, & pretiosâ morte justorum. Hoc fine modò congregati sumus, ut memoria mortis, ut fides nostra de hoc

hoc articulo, de mortis certitudine, & incertitudine, nos excitet, & moveat, ad devotiſſimam orationem, ſive recitationem Roſarii ſanctiſſimorum quinq; Vulnerum Salvatoris, juxta laudabilem conſuetudinem hujus Congregationis Chriſti Jeſu in Cruce agonizantis.

§. 2. *Idem facit memoria momenti, quo ingrediemur æternitatē.*

Verùm enim verò! debere mori! venire, & adeſſe frequenter, improvisò, dum minimè putamus, illud momentum! quo à Morte anima hominis violenter rapitur ex corpore, in alterum mundum! momento! in longiſſimam Æternitatem! vel in cœlum, vel infernum! heu! quàm triſtis eſt hæc cogitatio! ſic eſt; ſed illa eadem, ſive memoria hujus momenti, quo æternitatem ingrediemur, & quod non emanebit! me movet, meoſq; Sodales, ut proponamus vigilare, & orare, cum Chriſto Domino, dum in agonia cum morte luctaretur, ardentiſſimè.

§ 3. *In agone, ob morbos corporis, difficile eſt orare: oremus, dum poſſumus.*

Ni fallor; omnes mei Sodales ſæpe, & ſeriò orant in Litaniis Omnium Sanctorum, *à morte improviſa libera nos Domine.* Mi JESU Crucifixe! hoc petimus, per tuum Adventum, per tuam Nativitatem, per Crucem, Paſſionem, & mortem tuam! Neminem enim ex hoc numero eſſe puto, qui deſideret, ut repente gravi lapſu, frangat cervices; vel in fluvio aliquo, & aquis, vel catharro, ſubitaque defluxione ſuffocetur: plerique morte naturali, in lectulo doloris, mori deſiderant; ſed, talis mors! plerumque ſecum trahit concatenatam ſeriem morborum, dolorum, convulſionum, deliquiorum, ut modo nihil dicam de timoribus, & angúſtiis conſcientiæ; plerumque tum corpori eſt malè; omnium fermè id temporis querela eſt, non poſſe ſe orare: multis, in tantis anguſtiis, nulla occurrit cogitatio de Chriſti D. Paſſione, Vulneribus, &c. Et hæc ipſa una eſt ex præcipuis cauſis, ob quam pii Sodales ſolliciti ſunt, ut dum ſani ſunt, dum diſpoſitio corporis permittit, mille concipiant cogitationes de Chriſto Crucifixo, cur ardentes fundāt preces pro felici morte: hæc eſt cauſa, ob quam hîc congregati ſumus, ut magna devotione recitemus Roſarium quinq; SS. Vulnerum, inter ardentia ſuſpiria, O mi Jeſu Crucifixe! illo momento! in ſupremo agone noſtro, in hora mortis, intra tua Vulnera nos abſconde.

§. 4. *Imago mortis eſt terribilis.*

O mors, quàm triſtis & amara eſt memoria tua! O mors, quàm imago tua eſt terribilis! in qua oſſeum monſtrum aſſiſtere mihi videor, cujus dextera armata fatali telo, in cujus ſiniſtra clepſydra, ex qua paucæ arenulæ reſiduę defluunt: tremimus toto corpore, cùm à longè cernimus hanc imaginem, qualis in nos irruet timor, cum coram aſtantem lectulo noſtro videbimus? præſertim ſi contingat, nos minus bene eſſe paratos, & diſpoſitos. Hæc nimirum eſt cauſa, ob quam Sodales hujus Congregationis ſunt ſolliciti, ut vigilent, ut quavis horâ ſint parati. Optima pręparatio eſt fervens Oratio. O amabiliſſime Redemptor, depinge in cordibus noſtris, vivis coloribus mortem! ut jugiter oculis noſtris obverſetur: concede nobis hanc gratiam, ut vivâ ſemper fide memores ſimus nos morituros.

§. 5. *Memoria mortis eſt utiliſſima.*

Non ſine cauſa hoc petimus, quod gentilis Seneca omnibus ſuaſit, ep. 25. *Quidquid facis, reſpice ad mortem.* Cau-

ſam

ſam invenio apud S. Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana. *Metus imminentis mortis neceſſariò concutit mentem, & quaſi clavus; motus carnis, ſuperbia, ira, &c. Ligno Crucis affigit: nec quidquam ſic revocat homines à peccato, quàm frequens mortis meditatio.* Conſentit Auguſtino S. Cyprianus, dum ait: *Mors utilis eſt fidelibus Dei hominibus, quoniam peccandi periculis illos ſubtrahit, & in ſecuritatem non peccandi amplius, eoſdem conſtituit:* atteſtante Eccleſiaſtico c. 7. v. 40. *In omnibus operibus memorare noviſſima tua,* (vel, ut S. Hieronymus legit) *memento mortis tuæ, & in æternum non peccabis.*

§. 6. Orationi Rosarii præmittẽdi ſunt actus Contrit. & propoſitũ non peccandi.

Hæc duo exigo à meis Sodalibus, antequam recitemus Roſarium SS. Vulnerum. 1. Peccata hactenus commiſſa, ſive odium, iram, libidinem, affectus omnes minus ordinatos, clavo timoris Dei, clavo contritionis, clavo divini amoris affigite ligno Crucis, ut defluens de illo pretioſus ille ſanguis ex ſanctiſſimis Vulneribus, illa eluat; ut in illo cruore corda noſtra ſuper nivem dealbentur. Sodales hujus Congregationis piiſſimum hoc Roſarium orare debent corde mundo. 2. Metus, & memoria imminentis mortis mentes noſtras concutere debet, ut à peccandi periculis impoſterum nos ſubtrahamus & non peccemus amplius. O mi Jeſu Crucifixe! hæc eſt voluntas noſtra! hoc deſideriũ noſtrum! hoc pactum, & fœdus tecum inire volumus, ut impoſterum nullo lethali crimine Divinam tuam Majeſtatem, & infinitam Miſericordiam tuam offendamus. Cum hoc propoſito firmiſſimo mox ardentiſſimè orabimus.

§. 7. Ex v. 16. Pſ. 30. explicatur, quàm mors hominibus ſit improviſa.

Inter omnes circumſtantias mortis, una præcipuè me terret: quod frequentiſſimè illa adſit improviſa. Hoc credo! quia æterna Veritas dixit. *Hora, qua non putatis, Filius hominis veniet,* vix aliam propoſitionem ſacra ſcriptura, tam variis ſymbolis, & tam diverſis modis declarat. Placet mihi modo unicus verſus 16. Pſ. 30. *In manibus tuis ſortes meæ;* difficile eſt intellectu, quid David per ſortes ſuas in manibus Dei reſervatas intellexerit. Hugo Cardinalis in illum Pſalmum, vult regium Pſalten appellaſſe ſortes, prædeſtinationem, gratiam, & gloriam. *Sunt autem tres ſortes viri juſti, in manu Dei, ſcilicet ſors prædeſtinationis, ſors gratiæ, ſors gloriæ.* De gratia Salvationis, veluti ſorte, etiam locutus fuit S. Auguſtinus. *Quæ ſunt iſtæ ſortes? quare ſortes? ſortes dixit, quantum ego exiſtimo, gratiam, qua ſalvati ſumus,* Et addit cauſam, quare ita vocetur. *Quando Deus nulla noſtra merita invenit, ſorte voluntatis ſuæ ſalvos nos facit; quia voluit, non quia digni ſumus.* Sic eſt, Sodales mei Chariſſimi, elevate, quæſo, oculos in altum, in palmam Crucis! videtis vulneratas, ſanguineaſque manus affixas cruci; in his manibus, in his Vulneribus, in hac dextera eſt prædeſtinatio noſtra, & omnis gratia ad ſalutem nobis neceſſaria, & gloria, quam aliquando expectamus; non quia digni ſumus, ſed ſorte voluntatis ſuæ, ſed ſorte infiniti amoris, & immenſæ miſericordiæ, quâ vult nos ſalvos facere. Hujus gratiæ eſtote memores, hanc petite, piè, ardenter, cùm mox in honorem vulneratarum manuum Crucifixi, orabimus tertiam, & quartam decadem.

Ple-

§. 8. *Quare mors vocetur sors, bona, vel mala.*

Plerumque perdo filum meæ dictionis, cùm ingredior dulcissimos labyrinthos Vulnerum Salvatoris, redeo ad meam materiam, quàm mors sit improvisa, & statim silebo. Lectio Hebraica citati versus ostendit, Davidem per sortes intellexisse finem vitæ suæ, sive horam mortis, ideo Genebrardus illum versum sic exponit: *Termini vitæ meæ in manibus tuis.* S. Athanasius sic habet: *In manibus, & potestate tua sunt sortes, & dispositiones tam vitæ, quàm mortis meæ.* Sed quare mors est Sors? Sors hoc habet, quod veniat ex improviso, quando quis minimè cogitat, v.g. si rusticus inveniat thesaurum, vel pretiosum annulum, ut sors, sic mors adest plerumque, horâ quâ non putamus: sed discurro diutius. Iterum elevate oculos, Sodales mei! videtis vulneratas Crucifixi manus? perforatas? sanguineas? Cruci affixas? Video, ô mi JESU! sed termini vitæ meæ sunt in his manibus; ô mi Salvator! in tua potestate, in his manibus est sors mea, fortuna mea, thesauri mei, omne bonum meum; & dispositio tam vitæ, quàm mortis. In tua est potestate, ut cras, ut hodie, ut hâc horâ, mori debeam! proinde ab his manibus expecto sortem bonam, mortem sanctam! Et quando, mi JESU! illa aderit? quando vis me mori? hoc nescio! ideo mors mea est, & erit sors, veniet, moriemur! quando non putamus. Ut nobis omnibus obtingat sors bona, mors sancta, ferventissimè orabimus Rosarium quinque Sanctissimorum Vulnerum.

EXHORTATIO II.

PRO MENSE FEBRUARIO.

Statutum est hominibus semel mori.

Ad Hebr. 9. v. 27.

Synopsis Exhortationis.

Fides & memoria hujus Veritatis. Qualis vita, talis mors, movere nos debet ad seriam præparationem ad mortem, & ardentem Orationem Rosarii SS. Vulnerum, pro obtinenda sancta morte.

§. 1. *Quid*

§.1. *Quid sit mors?* INter Philosophos hæc quæstio aliquando fuit proposita: *quid sit mors?* Sophocles respondit; *mors ultimus est morborum medicus.* Sotades, *Mors est mortalium portus.* Socrates, *Est longa peregrinatio*; quâ scilicet anima hominis proficiscitur in æternitatem. Alius addidit, *Mors est somnus*, vel secundùm Poetam, *frater somni, cùm hic sit gelida mortis imago.*

§.2. *Quæ sint causæ diversorum somniorũ.* Cùm verò somnus etiam sit mater somniorum, hinc alia oritur quæstio; quænam sint causæ somniorum? & præcipuè unde fiat, quod quidam habeant somnia tristia, perturbata, melancholica, horribilia? somniãt v.g. suis humeris incumbere Ætnam, constringi sibi fauces, præcipitari se in abyssos, fluctuare in mari, submergi in fluctibus, imò somniant se rapi à Diabolis in tartara! Alii contrà, placidissimè dormiunt, in placidissimo somno, volant per aërem, ut aves, cantillant ut philomelæ, rapiuntur in paradisum, intersunt Angelorum choris, spatiantur in hortis, ducuntur in aurea palatia, &c. & unde hæc tanta diversitas?

§.3. *Causæ naturales.* Scio Hippocratem dicere, *Somnium naturale est, quod ex affectione, & temperamento ipsius dormientis, & causis in eo latentibus ortum habet.* Ideò aërii, & sanguinei jucunda habent somnia. Cholerici somniant de præliis, bellis, incendiis. Melancholici miras in somniis ludunt tragœdias, tristes, horridas! &c. Ut veniam ad meam de morte materiam, placet mihi modo ratio Aristotelis, qui ait: *ea passim in somniis occurrere, quibus per diem occupamur.* Et Victorinus. *Somnium est, cùm id, quod fatigaverat vigilantem, ingerit se dormienti.* His positis, sic brevissimè discurro.

§.4. *Duplex est mors, sicut duplex somnus, piorum, & impiorum* Si mors est somnus, vita est vigilia: & prout duplex est mors, piorum, & impiorum; mors pretiosa, & mors pessima: ita duplex est somnus, duplex agon, duplex lucta cum morte. Moriuntur pii, & obdormiscunt in Domino: moriuntur impii, & pariter obdormiscunt in mortem sempiternam. Jam advertite ulterius: qualia in supremo hoc somno sint somnia justorum, qualia impiorum. Ut rem quasi oculis cernatis, accedite fatalem lectulum morientis, & cum morte luctantis impii.

§.5. *Descriptio mortis, vel somni impiorum* Ex lethali sudore, ex motu, & tremore membrorum, ex contorsione oculorum, ex horrendis convulsionibus, colligimus, quod tales jaceant sub aliquo Ætna, quod dæmones conentur illis præstringere fauces, quod somnient, se vivos præcipitari ad inferos. Nemo mi-

 retur,

retur, talis fuit illorum vigilia: multis annis jacuerunt sub onere gravissimorum scelerum, in luto, & abysso criminum, in vigilia fuerunt amici, Servi, Socii, mancipia dæmonum: in ultimo somno, & somnio, in agone, in suprema lucta, in morte, hæc spectra illis occurrunt. Ex ejulatibus, ex singultibus, ex feris suspiriis, ex desperatis dictis taliter somniantium colligere possumus, quid somnient, dum v g. aliquis Chrysaorius horrendum vociferatur, *Inducias! inducias usque manè.* Vel sceleratus aliquis Clericus, & Sacerdos, *Actum est!* Vel impius aliquis Rex, *Omnia perdidimus!* Vel Doctor aliquis Parisiensis, *Justo DEI judicio sum condemnatus!* ex his facilè possumus conjicere, quænam spectra in ultimo somno talibus se objiciant; O mi Salvator Crucifixe! talia spectra, talia somnia, talem somnum, talem mortem à nobis averte: hoc te obtestamur per merita acerbissimæ tuæ Passionis.

§. 6. *Descriptio mortis Sanctorũ.* Tali morte nos mori, hunc somnum dormire non desideramus: alium ergo lectulum accedamus, in quo Sanctus aliquis, & justus moritur; v. g. Seraphicus Sanctus Franciscus inter brachia, & manus alicujus Seraphini, in dulcissimo somnio & agone, & deliquio suavissimi amoris erga Christum Crucifixum, cujus stigmata in corpore suo gestabat. Sanctus Ignatius, sanctus Franciscus Xaverius, in præsentia JESU & Mariæ; Sanctissima hæc nomina suavissimè, & millies ingeminantes, obdormientium in Domino supremæ voces, fuerunt, JESUS MARIA! Nimirum qualia cogitarunt in vigilia, Passionem Christi, ejus Vulnera, & sanguinem, JESUM & MARIAM, talia illis occurrerunt in somno mortis. In vita, in vigilia millies fuerunt memores quinque Sanctissimorum Vulnerum, in agone somniant, se in illis quiescere. O dulcis quies! O suavis somnus! In vigilia, in vita, dies noctesque suspirarunt millies, Jesu Crucifixe, per tristissimam tuam agoniam, per tuam Crucem, per pretiosum tuum sanguinem, in hora mortis, intra tua Vulnera absconde nos, defende nos, voca nos. In vita, in vigilia objectum sanctissimarum cogitationum fuerunt spinæ, clavi, virgæ, aliaque instrumenta Passionis; eadem deinde cum ingenti solatio cogitant, & somniant, dum in Domino obdormiscunt. In supremo agone se ingerunt cogitationes piæ, sanctæ, accensæ, nam tales fatigarunt vigilantes. In vita millies quæsiverunt refugium sub pallio afflictissimæ Matris stantis sub Cruce; in ultimo somnio, in supremo agone somniant, se sub eodem defendi, protegi, defenduntur! proteguntur! Talia ergo & nos cogitemus hac hora Congregationis sub Oratione Rosarii quinque sanctissimorum Vulnerum, de Christi Domini Passione, de ejus doloribus, de illius agonia, &c. qualia cogitare vellemus, cùm nobis moriendum erit. Illo fervore, illa devotione modò oremus, prout in ultimo agone mori desideramus.

§. 7. *Suavissima suspiria Iustorum, cùm moriuntur.* Audivistis paulò antè gemitus, & ejulatus impiorum in horrendo somnio ultimi agonis: audite suaves aliquas voces justorum, cùm obdormiunt in Domino.

mino. Sic aliqui fuerunt locuti. Pia quædam monialis antequam expiraret, millies repetiit hæc verba, *Jeſus eſt meus Sponſus, Ego illius Sponſa*, ipſi deſponſata in fide, ſpe, & charitate! talia dixerat, talia cogitarat, cùm vigilavit, cùm vixit, talia quoque cogitavit, talia dixit, cùm in manibus & Vulneribus Salvatoris, Filia Jeſu Crucifixi expiravit. Sodales amantiſsimi, nos jam vivimus, jam vigilamus, itaque dum mox ferventi oratione petemus ſanctam mortem, ad illas voces, Benedictus Fructus ventris tui Jeſus, cogitemus, dicamus, ſuſpiremus corde, ore, linguâ; Jeſus Crucifixus eſt noſter ſponſus! mi Jeſu, in te credimus, in te ſperamus, te amamus ex toto corde, ex tota mente. Sic ſupremæ noſtræ voces, ultima ſuſpiria cordis, cùm à morte frangetur, erunt Jeſus, Maria!

§. 8. *Postremũ ſuſpirium morientis S. Edmondi.*

S. Edmondus cùm animam exhalaret, oſculans latus Crucifixi dixit, *Amodo hauriam aquas cum gaudio Salvatoris*: talia fecit, dixit, cogitavit, cùm vigilavit; tum ejus hæc fuit occupatio, & devotio, amplecti, ſtringere, oſculari, compellare ſuaviter Chriſtum pendentem in Cruce; talia Edmondus fecit, dixit, cogitavit in morte. Ah ſodales amantiſsimi, mox ſub oratione Roſarii, ſi non brachiis, ſi non linguâ, ſaltem corde, ſaltem deſideriis, ruite in amplexus Crucifixi; oſculamini roſea Vulnera, jam pedum, jam manuum, jam dulciſſimi Cordis, modò memores eſtote, jam cogitate de ejus agonia, jam ardenti lingua repetite hæc cerba, Mi Jeſu! Mater Dei, memento mei, hæc facietis, hæc cogitabitis, hæc repetetis in agone. Ultima vox, cùm jam anima hærebit in lingua, ut ingrediatur dulce latus Chriſti, erit, Mi Jeſu, mi Jeſu!

§. 9: *Illa cogitemus, dicamus ſani: quæ in agone cogitare & dicere vellemus.*

Non permittit tempus, ut in brevi exhortatione narrem plures, tam pretioſas mortes Sanctorum. Hoc cupio inculcare meis Sodalibus, ut modo, dum ſani ſumus, dum vigilamus, cogitemus, dicamus, & faciamus, quæ cogitare, dicere, facere vellemus in hora mortis. O mi Jeſu! paulò antequam ſiſtar tuo tribunali, ad portam æternitatis; paulò antequam expiret anima mea in dulce tuum latus, cuperem recitare, vel audire orari Roſariolum ſanctiſſimorum tuorum Vulnerum, cum accenſa pietate, itaque etiam modo & ſtatim id faciam. Hoc deſidero, ut ſuprema mea vox, & linguæ & cordis ſit; mi Jeſu! in te credo, in te ſpero, te amo, fiat ſanctiſsima tua voluntas, *Fili David, propitius eſto mihi peccatori*, & ideo etiam deſidero, ut dum viglio, dum vivo, dum jam recito Roſarium, millies cogitem, millies dicam, Mi Jeſu, &c. Benedictus ſit JESUS Crucifixus in æternum.

EXHORTATIO III.

PRO MENSE MARTIO.

Statutum est hominibus semel mori.

Ad Hebr. 9. v. 27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit duas maximas de præparatione ad sanctam mortem.

§. 1. *Prima est: nullum tempus impenditur melius, quàm quod ponitur in præparando se ad mortem.*

§. 2. *Digressio ad Sodales Christi agonizantis.*

§. 3. *Dictum Christi D. ad S. Gertrudem plenum solatio.*

§. 4. *Proinde omnia opera pii sodalis reservat ad horam mortis.*

§. 5. *Crucifixi Vulnera sunt cistæ & arcæ gratiarum.*

§. 6. *Commendatur Sodalibus menstrua Communio.*

§. 7. *Pia præparatio ad sanctam mortem.*

§. 8. *Altera propositio: Raro bene moritur, qui male vixit; & contrà.*

§. 9. *Prosecutio.*

§. I. *Prima est: nullum tempus impenditur melius, quā quod ponitur in præparando se ad mortem.*

INcidi his diebus in quandam Concionem celebris Concionatoris, cujus titulus est: *De præparatione ad mortem*, aliquas in illa reperi propositiones, quas statim excerpsi, ut hac exhortatione communicem amantissimis meis Sodalibus, Christi in Cruce agonizantis. Prima Propositio sit, Nullum tempus impenditur melius, quàm illud, quod ponitur in comparando se ad mortem. Ratio est, quia Mori! est negotium arduum, & magni momenti, quod repetere nunquam licet, ut proinde magnâ indigeat præparatione, à qua pendet, ut peragatur bene, sive ut homo sanctè moriatur, plerumque qualis est dispositio, talis est exitus ex hac vita: in quo discursu, calculo suo confirmant opinionem illius Concionatoris alii sancti Patres, qui dicunt, sollicitum esse de felici morte, vigilare juxta præceptum Christi Do-

Domini serventer orare, verbo, diligenter se præparare ad mortem, talia esse signa prædestinationis, & æternæ salutis.

§. 2. *Digressio ad Sodales Christi agonizantis.*

Gratulor ex animo meis Sodalibus; cùm enim hæc Congregatio aliud non sit, quàm quidam conventus, & pia quædam conspiratio illorum, qui singulis mensibus, unâ Dominicâ, palam, publicè in hoc Templo, coram Sanctissimo Sacramento, coram Christo Crucifixo, ferventi oratione quinque sanctissimorum Vulnerum, publicam quasi faciunt professionem, se esse sedulos, ut tempestive se præparent ad sanctam mortem; hæc vestra diligentia magnam spem mihi facit, ut audeam de Sodalium meorum prædestinatione, & salute quàm optimè sperare. Timeant illi, qui de hac præparatione parum sunt solliciti, qui de morte raró cogitant: timeo ne hæc supina negligentia illis sit signum, & nota æternæ reprobationis. Iterum gaudeo, dum adverto Sodalium meorum fervorem, ut se præparent ad piam mortem; & rogo, ut omnes sibi persuadeant, se nullum tempus impendere melius, quàm illud, quod huic arduo negotio impendunt. Unica hora Congregationis, quâ singulis mensibus semel publicè oramus Rosarium sanctissimorum Vulnerum, aliquando in agone, summo nobis erit solatio.

§ 3. *Dictum Christi D ad S. Gertrudem, plenum solatio.*

Ut ardorem vestrum accendam, Jesus meus Crucifixus piis meis cogitationibus suggessit, quod aliquando revelavit S. Gertrudi: quæ revelatio me valde consolatur; spero eandem meis sodalibus peculiari fore consolationi: In hæc verba Cœlestis sponsus suam sponsam fuit allocutus: *Cum aliquis ante mortem aliquid egit, quo se ad mortem disponeret, ego illud omne illi reservo in diem mortis.* Si ita est ut esse non dubito, sine timore repeto propositionem initio exhortationis positam, nullum tempus impendi melius, quàm illud, quod ponitur in præparando se ad mortem.

§. 4. *Proinde omnia opera pii sodalis reservat Salvator in horam mortis.*

Bene habet, mei Sodales! hanc horam impendemus in honorem Crucifixi, in memoriam trihorii, quo inter angustias mortis pependit in Cruce: impendemus illam adorando Venerabile Sacramentum, cantando pulcherrimos versus de Passione Christi, & supremis verbis in Cruce ab illo prolatis: impendemus hanc horam, eliciendo actus contritionis, amoris, aliarumque virtutum: impendemus illam mille suspiriis ad JESUM nostrum Crucifixum, neque dubitate, ipse hanc horam nobis reservabit in horam mortis.

§. 5. *Crucifixi Vulnera sunt cistæ & arcæ gratiarum.*

Alia suavissima mihi occurrit cogitatio. Inter innumera elogia SS. Vulnerum Salvatoris, vocantur cistulæ gratiarum, & cœlestium thesaurorum! Ah mei Sodales! Primam decadem Rosarii oremus devotissimè in honorem Vulneris sinistri pedis, ut nos disponamus ad sanctam mortem: in arca ejusdem sanctissimi Vulneris, orationem hujus decadis, omnia ejus verba, omnes petitiones, omnia suspiria & desideria cordis nostri, Christus Crucifixus

cifixus nobis reservabit in honorem mortis nostræ (Hoc modo poterit fieri p a digressio ad alias decades Rosarii, & SS. Vulnerum) An ullam horam toto mense melius, & fructuosius possumus impendere, quàm hanc impendamus?

§. 6. *Commendatur Sodalibus menstrua Communio.* Nisi fortassis sit hora menstruæ Communionis, quâ privatim in templo, vel cubiculo cordis nostri, imò in conclavi dulcissimi Cordis Jesu, cum illo agimus, & tractamus negotium mortis nostræ: illam quoque horam, illam Confessionem, illam Communionem, omnesque reliquas devotiones, quibus ad mortem nos disponimus, servabit nobis bonus Jesus in diem, & horam nostri agonis. O quale solatium tum erit piis sodalibus, si, cùm Diabolus in unam lancem libræ Divinæ Justitiæ imponet nostra scelera, ex altera parte Angelus Custos, apertis cistulis SS. Vulnerum Crucifixi, extrahet tot Rosaria in illorum honorem recitata, tot actus virtutum, tot ferventes preces, quas quisque Salvatori suo obtulit pro obtinenda sancta morte. Si tot horas, quibus Sodalis ad mortem se disposuit, quale inquam solatium! si Tutelaris Angelus hæc omnia, quæ Christus Dominus præter Sanctissima sua Vulnera, præter merita mortis, præter pretiosum suum Sanguinem, nobis reservavit, alteri lanci Justitiæ imponat: tum videbimus, quàm bene illud tempus impenderimus, quo nos disponimus ad sanctam mortem.

§. 7. *Pia præparatio ad S. mortem.* Scio esse aliquos zelosos Sodales, qui in aliquo libello notarunt, quid quovis anno, quid quovis mense, quid quavis septimana, quid quovis die agere velint, ut se disponant ad mortem: hoc rôgo, ut hunc libellum peculiari devotione includant cistulis sanctissimorum Vulnerum, & ibi Christus Crucifixus nobis reservet usque in horam mortis. Nullum tempus impenditur melius, quàm id, quod à nobis in tam sancta & pretiosâ occupatione consumitur.

§. 8. *Altera Propositio Raro bene moritur, qui malè vixit, & contrà.* Hæsi diutius in prima propositione; alteram tantum insinuabo. Sic illa habet. Optima præparatio ad mortem per totam vitam, est bona & sancta vita. Nam raro contingit, ut qui malè vixit, bene moriatur; vel malè moriatur, qui bene vixit. Tremenda sunt verba sancti Hieronymi, quibus discessurus ex hoc mundo circumstantes fuit allocutus; prout refert Eusebius in Epistola ad Damasum. *Vix de centum millibus hominum, quorum mala semper fuerit vita, qui multis annis fere continuo vixerunt in statu peccati mortalis, vel unicus meretur à Deo habere indulgentiam, ut tandem in agone convertatur, ut tum Christus Crucifixus tali impio sua Vulnera, Sanguinem, & veniam offerat, ut gratiam efficacem necessariam ad tam arduum opus largiatur.*

§. 9. *Prosecutio* Addit sanctus Hieronymus: *Hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus est finis, cui mala semper fuit vita: è contrario verò qui bene vivit, bene moritur.* Etenim mors quædam vitæ portio est, cùm sit ejus finis, & terminus. Agite Sodales Christi agonizantis; ita in hac Congregatione secundùm ejus regu-

regulas, & statuta vivere volumus, ita modò orare Rosarium sanctissimorum Vulnerum, ita hanc mediam horam, vitæ nostræ partem impendemus, ut portio vitæ ultima, finiatur in manibus, vel inter brachia Christi Crucifixi; ut momentum vitæ ultimum, sit primum felicissimæ æternitatis.

EXHORTATIO IV.

PRO MENSE APRILI.

In meditatione mea exardescet ignis.

Psalm. 38. v. 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

FIdes, & memoria mortis nos movere debet ad ardentem orationem, quâ David, & alii Sancti obtinuerunt sanctam mortem.

§. 1. *David ardenter petiit sanctam mortem.*

§. 2. *Idem faciunt pii Sodales Christi agonizantis.*

§. 3. *Exemplo S. Pelagiæ, ex consideratione Agoniæ Christi D. in monte oliveti.*

§. 4. *Exemplo Margaritæ piæ Virginis, cum peculiari devotione erga clavos, quibus Christus Dominus affixus fuit Cruci.*

§. 5. *Digressio, vel allocutio pia ad Sodales.*

§. 6. *Ardentes affectus sub oratione petendi sunt à Matre dolorosa.*

§. 7. *Apostrophe ad JESUM Crucifixum.*

§. 1. *David ardenter petiit sanctam mortem.*

CEcinit hunc versum Regius Psalr. cùm apud se statuit ardẽti oratione petere à Deo eximias aliquas gratias, præcipuè hanc cit. Ps. v. 5. *Notum fac mihi Domine finem meum*, ut nimirum ad sanctam mortem seriò me disponam, & ideo, *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas*, denique ait, *Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam*, id est, fac O Do-

O Domine, ut post remissionem peccatorum meorum, in meo agone in fine vitæ meæ sit mihi bene. Antequam verò David has gratias petiit, dixit, *concaluit cor meum intra me, & in mea meditatione exardescet ignis*. Voluit dicere, se illas gratias petiisse oratione seriâ, & ardentissimâ.

§. 2. *Idem faciunt pii sodales Christi agonizantis.* Ideo modò in hoc Cœtu Christi in Cruce agonizantis sumus congregati, ut recitatione Rosarii quinque Vulnerum petamus sanctam mortem. Hoc est desiderium nostrum, ut Dominus notum nobis faciat finem nostrum, sive, ut semper simus memores, nobis moriendum esse, ut solliciti simus, ut ad illum finem omni curâ & diligentiâ nos disponamus. Hoc nobis in votis est, ut bonus Deus secundùm magnam misericordiam suam nos eruat ab omnibus iniquitatibus nostris, ut remittat nobis debita nostra, ut exaudiat orationem, & deprecationem nostram, & ita al quando etiam in umbra mortis simus in refrigerio, ut tunc nobis adsit Christus Salvator noster, ut in ejus sanctissima Vulnera commendemus, & expiremus animas nostras. Si ita est, moneo, & rogo, ut quivis prius accendat cor suum, & animam, & linguam, cùm dicere poterimus, Calida sunt corda nostra, tum statim orabimus nostrum Rosarium. Brevissimè ostendam, ubi necessarios ignes reperire possimus.

§. 3. *Exemplo S. Pelagiæ ex consideratione agoniæ Christi in monte Oliveti.* Duces nostri erunt binæ pœnitentes fœminæ Pelagia, & Margarita, illa post seriam conversionem, ut disceret ardenter orare, abiit Jerosolymam ad loca sancta, in quibus Christus Dominus fuit passus. Donum calidæ orationis, quod quæsivit, reperit in monte Oliveti, inter olivas, sub quibus Salvator noster in terribili agonia, & lucta cum morte sanguineum sudavit sudorem. In hoc loco, in consideratione horum mysteriorum, ardere sibi visa fuit Pelagia, dum oravit. Ad orationis perfectionem in anima pœnitente requiritur cor contritum & humiliatum, tale cor fuit Pelagiæ in consideratione agoniæ, & sanguinei sudoris. Testes fuerunt lachrymæ, quæ magnâ copiâ fluebant ex oculis Pelagiæ. Testes illæ persuasiones, quibus cor suum ad majorem dolorem excitabat; testes fuerunt igneæ scintillæ ex igneo corde erumpentes, sive igneæ sagittæ, Mi JESU doleo. O bone JESU amo te. Hos & similes affectus sensit Pelagia in consideratione agoniæ CHRISTI. Calidus, ardens divini sudoris cruor quasi totam Pelagiam accendit. Aliàs narro, quàm ardenter orare solita fuerit S. Theresia ante imaginem Christi sudantis sanguinem.

§. 4. *Exemplo Margaritæ, cum peculiari devotione erga clavos, quibus Christus D. fuit affixus Cruci.* Altera pœnitens, nova Magdalena, nomine Margarita in agro Perusino mirabili modo fuit conversa. A catello suo, latratu, oculis, motu pedum, currendo, discurrendo deducta fuit in stabulum ad fasciculos aliquot lignorum, sub quibus reperit suum amasium innumeris vulneribus confossum: ad quod spectaculum adeo cohorruit, ut mox de seria pœnitentia cogitaverit. Non possum inhærere narrationi sanctissimæ vitæ, quam fuit exorsa. Præcipua cura fuit, ut ardenter oraret. Scintillas verò, sive prunas, sive

ſive flammas, quibus cor ſuum accendit, reperit in Vulneribus Salvatoris, clavis calefactis ſanguine Chriſti, uſa fuit veluti facibus, quibus arderet. Unam gratiam eximiam petiit, & obtinuit à Matre Doloroſa. Per dolores, per tormenta Virginei, & Materni cordis petiit ſentire illos dolores, quos propter clavos Chriſtus D. ſenſit trihorio, quo pependit in Cruce, in ſanctiſſimo Corpore, triſtiſſima verò Mater in anima & corde. Ita ſuſpirabat ſine ceſſatione. Eja Mater iſtud agas, Crucifixi fige plagas, cordi meo valide! fac me ſentire vim doloris, O mater, tuos, & filij tui dolores mecum divide.

Itaque cum Margarita ſentiret iſtos dolores, cum videretur ſibi oculis cernere clavos terebrantes pedes Chriſti, & manus benedictas, cùm videretur ſibi videre eoſdem in vulnerato corde Matris, & eoſdem in ſuo corde quaſi palparet; orabat ardentiſſimè. Frequenter circa horam tertiam pomeridianam, quâ putatur Chriſtus Dominus in Cruce expiraſſe, tantos ſentiebat dolores, ut in gravi deliquio expiratura videretur. Cum aliquando coram Crucifixo ita oraret, quæſivit ex illa Chriſtus Dominus: Quid vis miſera? reſpondit illa: nihil aliud præter te Domine, nimirum ſanctam & felicem mortem, quam etiam obtinuit.

§. 5. Digreſſio, vel allocutio pia ad Sodales. Advertitis credo, mei Sodales, ubi, & quomodo, ante, & ſub recitatione Roſarij, cupiam calefieri & accendi corda veſtra! Conjicite oculos in Sanctiſſimum Sacramentum altaris, non eſt opus quærere montem Oliveti, ſub Sanctiſſimæ Hoſtiæ ſpeciebus nobis adeſt, qui pro nobis triſtem agoniam ſuſtinuit. Hic nobis adeſt ille pretioſiſſimus Sanguis, quem pro nobis ſudavit. Hic in Euchariſtia nobis adeſt ardentiſſimum Cor Jeſu, in quo arſit, & ardet tanta flamma amoris. Huic fornaci injicite corda veſtra; ſtatim ardebunt; divino huic ſanguini immergite veſtras cogitationes, & deſideria, ardebunt.

Aliquot guttis, O mi Jeſu, aſperge noſtros affectus, aſperge linguam, aſperge verba, omnia ardebunt, orabimus ferventiſſimè.

Cum Margarita has flammas quærite in Vulneribus Salvatoris. Accedite ſimul Matrem Doloroſam, ſtate cum illâ juxta Crucem, petite ab illa hanc gratiam, ut & nos in corde ſaltem ſentiamus clavum, vel qui dexteram noſtri Salvatoris affixit Cruci, vel illum, qui terebravit ſiniſtram, vel illum, qui Sanctiſſimos pedes horrendo Vulnere ſauciavit. O Mater doloris! eja iſtud agas, Crucifixi fige plagas in noſtris cordibus! Ah mi Jeſu! audi vocem, & clamorem cordis mei; ut ardenter orem, cupio, ut ſentiam tuos clavos, & dolores. *§. 6. Ardentes affectus ſub oratione petendi ſunt à Matre Doloroſa.*

Quæris fortaſſe, mi Jeſu Crucifixe, quid velim miſer? quid velint mei Sodales? meo & Sodalium nomine reſpondeo; Nihil aliud præter te Domine, per ſanctam & felicem mortem. Adverto, favet JESUS Cruxifixus, video ex ſanctiſſimis Vulneribus decidunt ſuper nos ſcintillæ, adverto, ca- *§. 7. Apoſtrophe ad Ieſum Crucifixũ.*

lent corda vestra, exardescit in illis ignis, flammas spirant vestræ linguæ, inter has flammas, inter hos ignes, inter hos calores ruamus in genua, ut oremus Rosarium Sanctissimorum Vulnerum, pro obtinendâ felici morte.

EXHORTATIO V.

PRO MENSE MAJO.

In meditatione meâ (vel Oratione) exardescet ignis.

Psal. 38. v. 4.

Synopsis Exhortationis.

Fervor Orationis accenditur Sanguine Jesu Crucifixi.

§. 1. *Oratio, quâ petimus sanctam mortem, debet esse fervens.*
§. 2. *Mirabilis Visio S. Gertrudis.*
§. 3. *Applicatur Sodalibus agoniæ.*
§. 4. *Orandum cogitationibus, verbis & operibus.*
§. 5. *Quomodo cogitationes nostræ fiant sanguineæ à Sanguine Christi.*
§. 6. *Sub oratione sanguinea præsertim sit imaginatio.*

§. 1. *Oratio, quâ petimus sanctam mortem, debet esse fervens.*

SAnguine Crucifixi cupio hâc exhortatione inflammare corda, & affectus meorum Sodalium, ad recitandum ferventer Rosarium quinque SS. Vulnerum pro obtinendâ felici morte. In oratione, quâ tantam gratiam flagitare volumus, necesse est, ut exardescat ignis fervoris, ignis devotionis, ignis amoris Divini, aliorumque affectuum. Pia & brevis historia, nobis proponet auream praxim, quâ Sanguine Crucifixi hos ignes in nobis accendere possumus.

§. 2. *Mirabilis visio S. Gertrudis.*

Vidit aliquando S. Gertrudis in cœlesti raptu, Christum D. assidentem mensæ, ad ejus latus sedit S. Joannes Evangelista, qui veluti amanuensis vel scriba, in quodam libro multa notabat, obser-

observavit Virgo cœlestem Notarium, diversis uti calamis, quædam scribebat calamo, quem intingebat attramento, alia notabat pulchris & diversis coloribus, quibus characteres depingi sol. nt. In peculiari quodam libro S. Joannes quædam descripsit mirabili calamo, antequam enim illum duceret; Sanctissimis Vulneribus assidentis Christi, prius immergebat, jam sanguini manuum, jam cruori Divinissimi lateris, & Cordis, characteres hoc calamo, hoc colore formati, radiarunt ut gemmæ, imò magis, quàm lucidissimæ stellæ firmamenti.

Revelavit suæ sponsæ cœlestis sponsus, hoc modo notari in libro vitæ, opera & orationes justorum, quæ fiunt tepidè, languidè, sine fervore, ex solâ consuetudine, describuntur attramento, & consuetis coloribus, sed non ita lucent in oculis Domini, fiunt alia ferventer, accensâ devotione, inflammatis desideriis, describuntur hæc colore argenteo, vel aureo. Si velimus eosdem characteres, vel nostra opera radiare, ut stellas, addamus pulcherrimos ductus, & lineolas, hausto sanguine ex Vulneribus Salvatoris.

§. 3. *Applicatur Sodalibus Agonia.*

Opus eximiæ devotionis habemus præ manibus, orationem Rosarij SS. Vulnerum, pro obtinendâ felici morte. Ecce mensam! videtis altare! cernitis in illo Sanctissimum Sacramentum, sive Christum D. Judicem, & inspectorem operum nostrorum. Amanuenses, Scribæ & Notarij nos ipsi esse volumus. Calamus velociter, ferventer scribens erit lingua nostra. Sic illam vocavit regius Psaltes, hoc calamo scribemus, hac lingua recitabimus Rosarium, imò affectus cordis nostri sunt calami, sed quæso Charissimi Sodales, linguas, corda, affectus prius intingite Vulneribus CHRISTI, hausto inde cruore describite Sanctissimum hoc Rosarium: cum primam decadem recitabitis in honorem vulnerati sinistri pedis, scribite, dicite lentè, clarè, piè, ferventer quinque Pater noster, unam salutationem Angelicam, sed eidem Vulneri intingite calamos, ex illo sanctissimo Vulnere haurite aliquot guttas pretiosissimi sanguinis, illis pingite, scribite, aspargite, ornate omnia verba, omnes vestras cogitationes, accendentur, inflammabuntur à calidissimo hoc liquore, stillante ex ardenti fornace amoris, & Vulneris sinistri pedis, exardescet ignis sanguine, & flammis hæc decas scribetur in libro vitæ, ut luceat in perpetuas æternitates. (hoc modo potest fieri inductio, per reliquas decades Rosarij & Sanctissimorum Vulnerum.)

§. 4. *Orandum cogitationibus, verbis & operibus.*

Super verba illa Christi D. Luc. 11. v. 9. *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur, vobis.* bene monuit S. Hieronymus. *Petendum cogitationibus, quærendum verbis, pulsandum operibus, & omnia aperientur vobis.* Cogitationibus, id est, oratione mentali, affectu animi, sive potentiis animæ, memoria, intellectu, voluntate, & imaginatione. Verbis, sive oratione vocali, rosarijs, litaniis, psalmis, tandem pulsandum est operibus vitæ sanctæ. Utriq; orationi cōjungi

C 2 debent

debent actus virtutum, opera pœnitentiæ, & misericordiæ, jejunia, aliæque mortificationes. Sic orantibus, sic pulsantibus aperiuntur portæ Misericordiæ Divinæ.

§. 5. *Quomodo cogitationes nostræ fiant sanguineæ à sanguine Christi.* Placet mihi aurea doctrina S. Hieronymi, pro oratione Rosarij SS. Vulnerum, pro obtinendâ felici morte hoc addo. Sub hoc Rosariolo statim fovebimus mille bonas & pias cogitationes, cupio esse sanguineas, per memoriam pretiosissimi Sanguinis, quem Christus D. pro nobis effudit, vel in sudore sanguineo, vel in flagellatione, & spinea coronatione, præsertim verò in Cruce, per memoriam hujus sanguinis exardescet ignis sanctarum Cogitationum. Mox sub Rosariolo nostro ore, & linguâ proferemus sanctissima verba, præsertim dulcissima nomina, Jesus Maria! Vulnera! dolores! mors Christi! omnia hæc verba cupio esse sanguinea, talia erunt, si subinde fervens aliquod interponatis suspirium. Mi Salvator per sanguineum sudorem tuum, per sanguinem sinistri pedis &c. concede, ut sanctè moriar; his suspiriis, memoriâ effusionum Sanguinis Christi, ardebunt verba nostra, exardescet ignis in oratione nostra.

§. 7. *Sub oratione, sanguinea præsertim sit imaginatio.* Ad fervorem & ardorem majorem excitandum, cupio quoque, ut imaginatio vestra sit sanguinea, hoc fiet, si illa quasi in imagine quadam cernat defluentem Sanguinem, jam ex Vulneribus pedum, jam manuum, jam benedicti Cordis. In suavissimis his imaginationibus exardescet ignis in cordibus nostris. Sic oremus, sic petamus, sic quæramus, sic pulsemus, & aperientur nobis portæ SS. Vulnerum. Finio, tantùm moneo, totam vitam nostram debere quoque esse sanguineam, quod fiet, si omnia opera nostra uniamus cum infinito valore sanguinis Christi, v. g. modo sic dicamus: O mi Deus, O Pater cœlestis! ut sanctè moriar, offero tibi hoc Rosarium SS. Vulnerum, in unione pretiosi Sanguinis Fili tui Jesu! O Pater, ecce vulnus sinistri pedis Filij tui! respice hunc sanguinem! Ecce vulnus dextri pedis; Ah Pater respice hunc sanguinem (sic perge per reliqua Vulnera, vel alias effusiones Sanguinis Christi) Sodales Charissimi, hâc praxi sub nostra oratione exardescet ignis in cordibus nostris, hoc modo orabimus ferventer.

EXHOR-

EXHORTATIO VI.

PRO MENSE JUNIO.

Præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à DEO Judex vivorum & mortuorum.

Actor. cap. 10. v. 42.

§. 1. *Est articulus fidei, Christum Dominum fore nostrum Judicem.*
§. 2. *Orandum ergò, ut aliquando coram illo subsistamus.*
§. 3. *Affectus Timoris.*
§. 4. *Propositum orandi ferventer.*
§. 5. *Detestatio peccatorum.*
§. 6. *Propositum non peccandi amplius.*
§. 7. *Affectus fiduciæ.*
§. 8. *Amor Jesu Crucifixi.*

§. 1. Est articulus fidei Christum D. fore nostrum Iudicem.

CReditisne, Sodales mei Charissimi, articulum fidei nostræ ex symbolo: Qui judicaturus est vivos & mortuos? Creditisne fide vivâ Christum Salvatorem nostrum, qui in Sanctissimo Sacramento altaris hic nobis præsens adest, fore aliquando nostrum Judicem? Certum est, hic erit Judex noster; hic, non alius super nos feret sententiam vitæ vel mortis, & quidem illo momento, quo anima nostra separabitur à corpore. Hic est, qui exiget à nobis exactissimam rationem de omnibus cogitationibus, verbis, & operibus. Hic est, qui si nos deprehendat in statu peccati mortalis; (Mors, Sanguis, Vulnera Jesu Crucifixi hoc malum à nobis avertant) quos deprehendet, contra illos dicet terribilem sententiam æternæ damnationis.

§. 2. Orandum ergo ut aliquando coram ipso subsistamus

Hæccine credimus Sodales? quid ergo mirum, quod quovis mense semel in hâc sanctâ Congregatione Agoniæ Crucis conveniamus, ut simul ferventi oratione Rosarij quinque SS. Vulnerum, hunc Judicem nobis conciliemus. Me quod attinet, conabor illud recitare devotione mihi possibili. Illâ fide, quâ possum. Mi Jesu credo in te. Illa fiduciâ, quâ possum, Jesu Crucifixe spero in te. Contritione mihi possibili, Jesu doleo! Charitate & amore, qui fit ex toto corde, ex totâ animâ, ex omnibus viribus, Jesu amo te!

 Nam,

§. 3
Affectus Timoris.

Nam, O Judex tremende! quàm timeo libram tuæ Justitiæ! tremo toto corpore, cum videre mihi videor peccata mea, imposita uni lanci, & in alterâ, tam exigua & pauca opera bona! quam timeo illud fulmen iratæ tuæ linguæ, unicam illam voculam, sed terribilem, horrendam, *Ite maledicti*! quàm horreo illud momentum, quo Mors me rapiet ad tuum tribunal! Dic mihi Jesu, quibus tum oculis me aspicies, an iræ, an misericordiæ? an amoris, an furoris? à quo aspectu mihi pendet felix, vel infelix æternitas!

§. 4.
Propositum orandi ferventer.

Dum hæc cogito atque perpendo, simul iterum cogito: O! quâ devotione, quâ demissione? (instar vermis repam humi coram vulneratis pedibus Crucifixi) quâ contritione? in angulo hujus cathedræ, cum Publicano tundam pectus, levabo tristes oculos, n n in cœlum, sed ad Vulnera mei Crucifixi, quibus lachrymis? flebo & plorabo cum Magdalena, quo gemitu? gemam instar columbæ juxta sanguineos rivulos fontium mei Salvatoris, quo ardore? ardebo ut Phœnix in flammis mei amoris, erga Crucifixum, quibus suspiriis & obtestationibus! Mi JESU, per tua SS. Vulnera, per tuum sanguinem, per tristissimam tuam agoniam, ne deseras me in horâ mortis! his inquam, obtestationibus, his suspiriis, hoc ardore, hoc gemitu, his lachrymis, hâc contritione, hâc demissione recitabo modò Rosarium SS. Vulnerum, ut bonus JESUS in illo momento sit mihi propitius Judex. Sed agite, Sodales, vestra quoque accendite desideria, & vos cupio esse ardentes Phœnices, ut pari devotione, illud unà mecum recitetis, ut quod petimus, eò certius obtineamus.

§. 5.
Detestatio peccatorum

O Judex supreme! credo, te tam accuratam rationem exacturum etiam de verbis otiosis, quæ ratio exigetur de gravibus sceleribus, de nostrâ superbia &c. verbo, de quocunque peccato mortali? per quod solum homo meretur sententiam æternæ damnationis. Dum hanc veritatem credo & considero, duo facio 1. coram JESU Crucifixo, execror, detestor, abominor, aboleo, annihilo, veluti abominationem, veluti pestem, veluti purulentum ulcus, velut venenum, velut summum malum, quod summè DEO displicet: detestor inquam omnia peccata mea, cum dolore mihi possibili, quod summum bonum offenderim, obsecro, mi JESU, per tristissimam in Cruce agoniam, per mortem tuam, ut omnia mea scelera projiciantur & immergantur in balneum pretiosissimi Sanguinis tui, ut cor meum lavetur & super nivem dealbetur, tali corde, mundo, contrito, humiliato cupio mox orare Rosarium SS. Vulnerum pro obtinenda felici morte.

§. 6.
Propositum non peccandi amplius.

Deinde, coram te mihi JESU Crucifixe, quem hic præsentem credo & adoro in SS. Eucharistia, consequenter coram sanctissimis tuis Vulneribus, coram pretiosissimo tuo san^guine! O mi Angele Custos! O S. Josephe! S. Barbara, agonizantium & morientium fidelissimi Patroni; O Mater Dolorosa stans juxta Crucem agonizantis Filij, vos cupio esse testes mei propositi. Audite

dite

Audite quæ loquar. Malo mori, malo per DEI gratiam pati quidvis, quàm DEUM meum ullo lethali crimine offendere imposterum. *S*i necesse sit calamo his verbis subscribere, hoc faciam. Ex sanguineis virgis, quibus Salvator meus cæsus est, quæram aliquem ramusculum ebrium sanguine Salvatoris, hoc ramusculo scribam: Malo mori, quàm DEUM meum offendere. Hoc faciam! Ex spinea coronâ, quæ insidet capiti sponsi mei Crucifixi, extraham aliquam spinam, fluente ejusdem sanguine, hâc spinâ hic palam scribam, malo mori, quàm Deum offendere. Hoc faciam! Ex vulneribus pedum extraham clavum, illo scribam, malo mori, quam Deum offendere, hoc eodem clavo meam scriptionem, imò cor meum, deinde Cruci affigam. Sodales mei dilectissimi, talia mecum dicite, mecum scribite, cum tali scelerum detestatione, cum tali proposito non peccandi amplius, mecum orate Rosarium SS. Vulnerum. Ego non dubito, benignissimum habebimus Judicem.

§. 7. *Affectus fiduciæ.* *S*ed O Judex supreme! nunquid es ille dulcis & bonus JESUS, qui pro nobis natus ex Maria Virgine, qui pro nobis passus es, & crucifixus? & tu nos vis condemnare ad infernum? ad æternos ignes? tune nos projicies à facie tuâ? tune dulcissimam illam linguam acues, ut fulgur, ut ferias tuos servos, tuos fratres, imò filios? Quomodo tam contraria in uno possunt esse Salvatore? In memoriam revocate, Sodales, quod sæpe dixi, quod Agnus sit, & simul leo. Qui dum vivit, dum tempus est gratiæ, Christum non amat, quia bonus est, qui tum misericordiam ejus sprevit, æquum est, ut aliquando incidat in rigidas ejus manus, in furorem justitiæ ut experiatur, quia simul justus est, quia contra impios est leo. Gaudeo mi Jesu, quia bonus es, quia justus es in æternum.

§. 8. *Amor Jesu Crucifixi.* Verùm itane? ut Jesus aliquando mihi sit propitius judex, ut mihi sit agnus, ut audiam illam vocem, Veni, ejus amore est opus? hoc est necesse, ut amem Crucifixum? hoc ergo faciam, statim, hoc momento. Amabo Jesum Crucifixum. O mi Jesu iterum ex spinea coronâ concede mihi unicam spinam, ut illâ, ut tuo sanguine scribam, Amo JESUM Crucifixum &c. (ut supra) Sed tempus est, ut inter hæc desideria, inter hos affectus recitemus Rosarium SS. Vulnerum.

EXHOR-

EXHORTATIO VII.

PRO MENSE JULIO.

Ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis, & inferni.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

EXhortatio hæc supponit vivum actum fidei de inferno, cujus consideratio movet pios ad ardentes preces, ut ab illo liberentur.

§.1. *Pia Apostrophe, cum variis affectibus ad Jesum Crucifixum?*

§.2. *Apostrophe ad Auditores, ut ex timore inferni ardenter orent.*

§.3. *Affectus admirationis super pœnas inferni: cum proposito ferventis Orationis.*

§.4. *De sempiternâ agoniâ damnatorum.*

§.5. *Iterum pij affectus ad Iesum in Cruce Agonizantem.*

§.6. *Alia Apostrophe ad Sodales.*

§. 1. *Pia apostrophe cum variis affectibus ad Iesum Crucifixum.*

O Mi amantissime Redemptor! mi Jesu! tu ille es, qui quidem pro nobis mortuus es in Cruce, sed jam es vivens in sæcula sæculorum, & habes claves mortis, & inferni! quàm ideo bene nos monuisti, ut non timeamus illum, qui corpus perdere, animæ autem nocere non potest, ut inquam talem non timeamus, sed iram, indignationem, rigorem, furorem, Justitiam illius, qui corpus cum animâ, qui totum hominem potest mittere in gehennam, & punire morte æternâ. Verùm mi Salvator, quia tu idem ille ipse es, cujus ira, & furor impios æternùm condemnat, & mittit in tenebras exteriores, nunquid æquum est, ut totus tremens, & pavidus me abjiciam ad vulneratos tuos pedes, ad hanc aram misericordiæ, & cum lugente Davide dicam, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.* Psal. 6. v. 1. In tali timore & humili deprecatione alias cecinit Regius Psaltes, Psalm. 136. v. 1. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & flevimus,*

flevimus, in salicibus suspendimus organa nostra. Alios ego quæro rivulos, illos sanguineos, qui defluunt ex Vulneribus Salvatoris mei Crucifixi, juxta hos sedebo hâc horâ & flebo, apprehendam cytharam, sive meum Rosariolum Sanctissimorum Vulnerum, cum hâc cythara instar lugentis turturis ingrediar cavernas maceriæ, ibi sedebo, & gemam, & voce tristi dicam quinque Pater noster, in honorem Vulneris in sinistro pede, deinde quinque in honorem vulneris in pede dextero &c. Hanc deinde cytharam, hoc meum rosariolum suspendam ad palmam Sanctissimæ Crucis, hoc fine Mi Jesu! *ne in furore tuo arguas me*; mi Salvator, Corpus hic seca, sed parce animæ meæ. Propter nomen sanctum tuum, ne permittas me damnari.

§. 7. *Apostrophe ad Auditores, ut ex timore inferni, ferventer orent.* Sodales mei dilectissimi, Creditisne & vos esse infernum? num creditis Christum Crucifixum habere claves mortis & inferni? creditisne esse in loco aliquo horribili æternos ignes, quos hic idem suis hostibus præparavit? Creditisne vos frequẽter per lethalia crimina meritos esse æternam damnationem? Ah! avertat meus Jesus, ne ex hoc numero meorum Sodalium aliquis sit actu in statu peccati mortalis, quem supremus Judex, si vellet, hoc momento justissimè mittere potest in gehennam! ah quæso mei Sodales, statim, hoc momento, ob gravitatem periculi, mecum apprehendite cytharam ardentis orationis, gemite, flete & vos, ut à Christo Crucifixo obtineamus hanc gratiam, ut propter nomen sanctum suum non permittat nos damnari.

§. 3. *Affectus admirationis super pœnas inferni: cum proposito ferventis orationis.* O mi Deus! qualis nox, qualis caligo, quales tenebræ, qualia spectra, & monstra, horrida, furibunda, horribilia! quales bestiæ! ignei leones, ignei tigrides, ignei cerberi, quales furiæ, immites, crudeles, quales carnifices & tortores! tot, quot sunt Diaboli in inferno, qualia instrumenta crudelitatis! ignei equulei, igneæ catenæ, igneæ rotæ, ignei forcipes, gladij, sagittæ, heu qualis officina tormentorum est in inferno! qualis tempestas & aura? nix, grando, glacies, fulgura, tonitrua, fulmina! talem locum D. Justitia præparavit hostibus Christi. O mi Jesu hoc credo firmissimè, credo fide vivâ esse infernum! Et aliquis mirabitur, me esse sollicitum, ut tanquam Sodalis hujus Congregationis ferventi oratione & Rosario SS. Vulnerum, petam liberari ab hoc loco tormentorum? Mirabitur aliquis, etsi millies de die suspirem, & clamem in clamore cordis mei, O mi Jesu Crucifixe, propter nomẽ sanctũ tuum, propter sanctissima tua Vulnera, propter sanguinem tuum, ne permittas me damnari, hic ure, hic seca, modo æternum parcas! sodales charissimi, nunquid & vos creditis, esse infernum? an non contremiscitis cum talia auditis, Uri æternum! æternum jacere in igneis rotis, &c. hæc creditis & timetis? Mecum ergo coram sanctissimo Sacramento, coram Christo Judice ruite in genua, mecum orate Rosarium sanctissimorũ Vulnerum. Mecum suspirate, O Jesu Crucifixe, propter nomen sanctum tuum, ne permittas nos damnari.

§. 4. *De sempi-* Cùm subinde vivus descendo in infernum,

terna agonia damnatorum.

fernum, ut considerem tormenta illius loci, nihil me magis terret, quam videre infelicissimas damnatorum animas, inter tam terribiles dolores & ignes, jacere in miserabili agoniâ, & luctâ cum morte æternâ. Vellent mori, & mori non possunt. Vivunt æternum, moriuntur æternum in æternâ agoniâ, semper vivere, semper mori durabit æternum! Quis hanc agoniam fide vivâ considerare potest, ut non statim exclamet, O mi bone JESU, per tristissimam tuam agoniam, libera me ab agoniâ æternâ!

§. 5. *Iterum pii affectus ad Iesum in Cruce Agonizantem.*

Itaque hoc facio, confero me piis cogitationibus, & desideriis ad montem Calvariæ, ibi cum Matre Dolorosa sisto me juxta Crucem; ibi tristibus oculis aspicio Jesum meum intristissimâ suâ Agoniâ, mox ruo in genua, & suspiro. ah mi Jesu, quales sunt oculi tui in tristissimâ tuâ luctâ cum morte? pleni lachrymis & sanguine! jam franguntur à morte, ah mi Jesu, his oculis aspice animam meam, & libera eam ab agoniâ æternâ! O dilecte cordis mei! non melle, sed felle fluit lingua tua in agone tuo, quàm tristes audio voces, sitio! Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, mi Jesu, per supremas has voces tuas libera animam meam ab agonia æternâ. Eheu! sponse mi! quale est cor tuum in lectulo crucis, in lectulo agoniæ tuæ? heu! quàm triste, quàm amarum! videte animæ piæ, filiæ Sion videte sponsum vestrum in die desponsationis suæ in thalamo Crucis, ut movetur dulcissimum cor! ut palpitat! ut tremit! ut premitur angustiis mortis! ah! est in agone! luctatur cum morte, jam scinditur, jam rumpitur, ah! jam moritur Jesus meus! O mi Jesu, per agoniam cordis tui, per mortem tuam, ne permittas me damnari; ab agoniâ æternâ libera animam meam!

§. 6. *Alia Apostrophe ad Sodales.*

Sodales! triste est cor meum, plenum est amaritudinibus mortis & timoribus inferni, ob tristes gemitus, ob affectus quos in corde sentio, loqui amplius non possum. Ruite tandem mecum in genua, ut inter hæc suspiria, inter hos affectus, in vivacissimâ imaginatione, hinc agonizantis animæ damnatæ, hinc agonizantis Christi in Cruce, oremus Rosarium sanctissimorum Vulnerum. Bonus est Jesus Crucifixus, liberabit nos ab inferno.

EXHOR-

EXHORTATIO VIII.

PRO MENSE AUGUSTO.

Ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis & inferni.

Apoc. 1. cap. v. 18.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Est prosecutio materiæ prioris de inferno.

§. 1. *Brevis Propositio.*

SUperiori mense vivo actu fidei de inferno, conatus fui excitare meos Sodales ad ferventem Orationem Rosarij sanctissimorum quinque vulnerum, non potui in unâ exhortatione materiam illam exhaurire, itaque modo illud faciam.

§. 2. *Actus fidei de inferno, cum ejusdē descriptione. Et de suspiriis damnatorum.*

O mi Salvator! ita! credo! est infernus! Ah sodales! in inferno nihil est, nisi dolor, & perpetuus horror, non audiuntur ibi aliæ voces, quàm vanæ lamentationes, fera suspiria, horrendæ blasphemiæ, collisiones dentium, stridor, fremitus, ejulatus! Væ! Væ! ah! ah! heu! heu! Hæc est infernalis musica, cum horrendis execrationibus, quas damnati ardenti gutture evomunt contra Deum, Sanctos, & se ipsos, contra horam, in quâ concepti sunt, contra diem, in quâ nati sunt! parentum contra filios, filiorum contra parentes &c. Horribiliores sunt voces dęmonū, inter rugitus leonū, latratus canū, horribilior

est stridor ignis, & fremitus infernalis Cocyti, horribilissimi desperantium damnatorum ejulatus. Sic gement æternum, sed frustra, sic ejulabunt æternum sine fructu, sic suspirabunt æternũ, nunquam exaudientur.

§. 3. *Alia suspiria resonantia ex antris Pœnitentium.*

O mi Salvator! dum hæc conside- ro, alii meis auribus occurrunt gemitus, alia mihi audire videor suspiria. Erro, nisi meus Genius me deduxerit ad antrum flentis Petri, aut speluncam plorantis Magdalenæ. Video, quam amarè flet Petrus, video lachrymarum canales in genis: video, quâ copiâ calidæ lachrymæ defluant ex oculis Magdalenæ. Audio voces Petri, Mi amantissime Magister, cur negavi te, maledicta nox, maledicta hora, quâ hoc feci! Audio tristes voces Magdalenæ; Mi Jesu, cur offendi te! doleo, amo te. Sic eva ferunt lamenta æterna. Ut liberer & ego, etiam flebo, & plorabo.

§. 4. *Pium Propositum Auctoris.*

Ita cum Sancto Petro intrabo aliquod antrum, cum Magdalena quæram aliquam speluncam, ad quid hoc? hic, hoc loco, coram sanctissimo sacramento, coram Crucifixo, hic mi Jesu, in spelunca Vulnerum pedum, in speluncis manuum, in speluncâ dulcissimi Cordis tui, mi Jesu, volo gemere, volo flere, volo suspirare! in his speluncis amoris, & doloris, orabo ferventissimè Rosarium sanctissimorum Vulnerum, subinde miscebo has tristes querelas, ah! ah! mi Jesu cur offendi te! subinde calidas deprecationes, Mi Jesu per tuos gemitus, per tua suspiria, per trihorium Crucis, libera animam meam à gemitibus æternis, à stridore dentium æterno, Ah mi Jesu, propter nomen tuum Jesus ne permittas me damnari. Sodales! si infernum creditis, si infernum timetis, idem facite

§. 5. *De damnatorum lachrymis.*

Paucis verbis mentionem tantùm feci lachrymarum, quas damnati fundunt in inferno. Ah sodales! quàm sunt calidæ? incalescunt à colore inferni. Quàm sunt igneæ? ignescunt igne inferni. Quam sunt ardentes? ardent eodem igne, fluunt, ut sulphur, ut accensa pix, ut liquefactum plumbum, frustra tamen, flebunt æternum, non tamen extinguent ignem. Omnia hæc Christus D. unico verbulo nobis proposuit, ibi erit fletus! O mi Jesu Crucifixe! sic non cupio flere.

§. 6. *Alias sibi optat auctor: cum piis obtestationibus per lachrymas Christi in Cruce.*

Ita hic, hic coram Venerabili Sacramento, coram meo Crucifixo flebo, quantum possum; & cupio lachrymas esse calidas, sed à calore Contritionis, cupio esse igneas, ab igne tui amoris, cupio illas ardere, ardore & flammâ, quæ ardet in accenso clibano tui dulcissimi Cordis! Cupio illas fluere copiosè, ideo quia offendi te, ideo quia tam liberali Domino tam fui ingratus, ideo, quia amo te. Væ! Væ mihi! cum recordor lachrymarum, quas damnati effundunt in inferno, quem meis sceleribus multoties merui, nisi scirem Jesum meum in trihorio Crucis, & tristissimâ agonia suâ amarè flevisse, ideo ut ego liberer à fletu æterno. O mi Jesu per has ego lachrymas tuas obtestor, ne permittas me damnari. Ut hoc obtineam, orabo ferventer Rosarium sanctissimorum Vulnerum. Sodales! si non vultis flere æternum, pari fervore mecum orate.

O mi

§. 7. *Prosecutio.* O mi Salvator! quanta est majestas tua! quæ tam rigidè punit suos hostes, quia hoc cedit ad gloriam tuæ Justitiæ, gaudeo esse infernum! gaudeo ardere tot milliones animarum, non quod illas oderim (utinam illis profuisset tuus sanguis sed quia tibi gloriosum est, quod qui te amare noluerunt, ita puniantur! Justus es Domine! sed O mi dulcissime Salvator, ego non cupio esse in inferno, ah, non, non cupio esse inter damnatos, ideo neque hostis tuus esse volo, sed servus Jesu Crucifixi. Salva me mi Jesu hoc tibi erit gloriosum. Misericordia tua sit super me, mi Salvator! ut hanc misericordiam obtineam, ut liberer ab inferno, orabo devotissimè meum Rosarium. Sed dilecte cordis mei! etiam Sodales meos amo, neque hos cupio ardere in Inferno, & illos cupio esse participes tuæ misericordiæ; omnes desidero salvari. Ah mi Jesu, non! non! nullus ex toto hoc numero mittatur in gehènnam. Si & vos hoc mecum desideratis, ferventer mecum orate.

§. 8. *Detestatio peccatorũ, cum aliis affectibus.* Itaque quia credo esse infernum, & hoc credo. Si sim in statu peccati mortalis (O Deus averte hoc malum! si contingat in illo me mori; ego quoque ero inter illos, qui ardent in inferno, ego quoque ero objectum furoris Domini, ego; mea anima, meum corpus, hi oculi, hæ manus, omnia membra mea, omnes guttæ sanguinis, omnes nervi mei erunt pabulum ignis æterni, materia immortalis, immortalis ignis! Ita, si maneam in hoc statu! sed per Dei gratiam non manebo. Hoc momento abominor iterum, iterum detestor, iterum exector quodcunque peccatum mortale, quod commisi. Iterum statuo, & paratus sum meo & tuo, mi Salvator, sanguine subscribam, malo mori, quàm Deum meum offendere. Peccavi, sed spero gratiam, & veniam petam ferventer. Sub oratione Rosarij mox ero memor Agoniæ, Vulnerum, sanguinis, Mortis, Crucis Christi, ero memor dolorum Dolorosæ Matris, Ah mi Jesu, per hæc Vulnera, per hanc agoniam &c. adjuro te, obtestor te, ne permittas me damnari. Mi JESU, non pro me solùm hoc peto, sed etiam pro meis sodalibus, ah libera illos ab inferno. Sodales Charissimi, non sufficit me hoc petere, ipsi clamare, ipsi orare debetis. Ergo mecum ardenter orate.

§. 9. *Quomodo possit à Sodali extingui infernus.* Valde me solatur quoddam Emblema, in quo formosa Virgo, ardenti face conatur comburere cœlum, & cyatho aquæ extinguere infernum. Alibi declaro sensum hujus picturæ, hoc modo opto, ut possim extinguere infernum. Intelligite mei Sodales, pro illis qui jam ardent in inferno, ignis ille extingui nõ potest, pro nobis, qui adhuc vivimus, extigui potest, ne in illo aliquãdo ardeamus. Solâ aquâ id fieri non potest; Sanguine est opus, & quidem sanguine Filij Dei! O Fili Dei, cum hic tam copiosè fluat ex sanctissimis tuis pedibus, mihi saltem tres, quatuor, imò unicam guttulam concede. Quæris fortassis quare petam? pro me, pro meis sodalibus volo extinguere ignem inferni, (hoc modo potest fieri suavis, & pius affectus per alia Vulnera Crucifixi,

 fixi,

fixi, præcipuè benedicti Cordis) Agite Sodales, oremus devotè Rosarium sanctissimorum quinque Vulnerum. Bonus, liberalis est Redemptor noster, quod petimus, non negabit. Interponamus frequenter illud suspirium. JESU, propter nomen sanctum tuum, ne permittas nos damnari.

EXHORTATIO IX.

PRO MENSE SEPTEMBRI.

Ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis & inferni.

Apoc. 1. cap. v. 18.

Synopsis Exhortationis.

FErvens Oratio, præsertim Rosarii, quinque sanctissimorum Vulnerum, magnam nobis præbet fiduciam, liberandos nos ab inferno.

§. 1. *Sanguis Christi pro Sodalibus Agoniæ extinguit Infernum.*

§. 2. *Affectus fiduciæ erga Jesum Crucifixum.*

§. 3. *Rosarium quinque Vulnerum est funis, quo Anima pia anchoram spei alligat Cruci.*

§. 4. *Sanguis Christi clamat Misericordiã.*

§. 5. *Impossibile est, ut damnetur Amator Jesu Crucifixi.*

§. 6. *Fundamentum fiduciæ nostræ sit Amor Crucifixi erga suos Sodales.*

§. 7. *Hortatur Sodales ad ferventem Orationem.*

§. 1. *Sanguis Christi pro Sodalibus Agoniæ, extinguit Infernum.*

TImeo, ne binis exhortationibus de inferno, Sodalibus meis molestus fuerim, modo conabor efficere, ut quæ de illis horrendis & crudelissimis pœnis audiverũt, sint illis magno solatio. Ita credimus! certum sit, irrefragabilis Veritas est, esse infernum, sed sperate, confidite Auditores, pro Sodalibus Christi Agonizantis in Cruce, non ardet infernus, ego optime spero. Nam! O si cognosceremus, quid sit Jesum Crucifixum

fixum habere Redemptorem! ah, si agnosceremus pretium sanguinis, quem pro nobis effudit, vel in sudore sanguineo, vel in flagellatione, vel spineâ Coronatione, vel Crucifixione! Utinam, sicut credimus esse infernum, etiam crederemus infinitum esse valorem, vel unicæ guttæ divini illius cruoris, utinam apprehenderemus, quantum in librâ Divinæ Justitiæ ponderet unica gutta! contra quæcunque peccata, superbiæ, iræ, &c. Unicus globulus sanguinis, qui in agone ex facie Christi defluxit, ex se sufficit, ut satisfaciat pro peccatis totius mundi. Si hæc intelligeremus, qualem conciperemus spem & fiduciam, abolendas, & delendas in hoc balneo omnes nostras maculas turpissimorum scelerum, consequenter spem, & fiduciam, non fore, ut nos ardeamus in inferno. Confidite Sodales, pro omnibus nostris peccatis satisfecit Christus D. in Cruce, ejus sanguine contenta est divina Justitia, modo de nostro aliquid contribuamus. Corda contrita, humiliata, opera mortificationis, & pœnitentiæ, præcipuè ferventes orationes. Hoc fine ego statui modo devotè recitare Rosarium sanctissimorum Vulnerum. Idem facite, & bene sperate, nos non ardebimus in inferno.

§. 2. *Affectus fiducia erga Iesum Crucifixum.*

O mi Jesu! in tua bonitate, & infinita misericordia confido, à te spero gratiam, ut in gratia tua perseverem usque ad ultimum momentum vitæ, cum hac spe, inter brachia tuæ misericordiæ cupio vivere & mori, & cur hæc non sperem? nunquid ad hunc finem creasti me? nunquid ideo per tres horas pependisti in Cruce? nunquid ideo mortuus es, & pretiosum tuum sanguinem effudisti? ut mihi obtineres hanc gratiam, ut sanctè vivam, ut sanctè moriar, ut non veniam ad infernum! & cur non sperem? Credo mi Jesu esse infernum, sed quia amo te, spero; non permittes me in illo ardere. Itaque

§. 3. *Rosarium quinque Vulnerum, est funis, quo anima pia anchoram spei suæ, sine timore inferni, alligat Cruci.*

Cùm hac spe elevo me usque ad brachia Crucis, elevo me usque ad latus, & cor Jesu, elevo me in altissimum nidum spineæ Coronæ, quæ hæret in capite mei Salvatoris. Hic spero, omnia mea peccata, quæcunque illa sint (sint tot, quot sunt arenæ in litore maris) esse deleta pretioso sanguine Crucifixi: spero chyrographum peccatorum meorum, & sententiam mortis contra me scriptam, esse affixam Cruci, spero esse laceratam clavis Crucis, sperò esse combustam inter flammas amoris, quo me amat Jesus Crucifixus! In hâc spe volo vivere, volo mori! cur ergo timebo infernum? hoc tamen faciam; ut spes mea firmior sit, ut fortissima sit anchora meæ fiduciæ, forti fune alligabo illam ad petram Crucis; funis ille erit, meum Rosarium sanctissimorum Vulnerum, quod modò orabo devotissimè. Sodales Charissimi, & vestra navicula fluctuabit aliquando inter fluctus angustiarum mortis, & timorum inferni, & vos quærite anchoram spei, quærite funem, quo & anchoram, & naviculam firmetis ad sanguineos pedes CHRISTI. Orate mecum hoc Rosarium, funis erit, qui spem vestram Cruci fortissimè alligabit.

Ital.

§. 4. *Sanguis Christi clamat Misericordiam.* Ita! ita! credo esse infernum, ideo hinc timeo, quia scio, quàm fortiter coram tribunali Divinæ Justitiæ scelera mea clamant, Vindica Domine, vindica! hinc spero, quia scio fortius clamare vocem sanguinis, quem innocens Abel in arâ Crucis pro me effudit, *Parce Domine, Parce.* Coram hoc altari, coram Sanctissimo Sacramento, coram hoc tribunali Misericordiæ, in præsentiâ tot ferventium Sodalium, bene spero, & non timeo infernum. Ille sanguis, quem Christus pro me effudit in sanguineo sudore, clamat pro me Misericordiam, non timeo infernum. Pater peccavi in cœlum, & coram te! *Tibi soli peccavi*! sed clamat pro me sanguis flagellationis &c. altissimè & fortissimè clamat sanguis Crucis, ut misera mea anima non ardeat in inferno, ideò bene spero.

§. 5. *Impossibile est, ut damnetur amator Iesu crucifixi.* Eja mei Sodales, cum mox recitabimus primam decadem Rosarij in honorem Vulneris sinistri pedis, deinde alteram in honorem Vulneris pedis dexteri, simus peculiariter memores sanctissimi sanguinis, qui ex illis in Cruce defluxit, cogitemus nos cum Maria Magdalena mundo strophiolo excipere aliquot guttulas, elevemus oculos ad cœlum, & dicamus, Pater! respice hæc vulnera, respice hunc sanguinem, audi, quam fortiter clamet, *Pater ignosce illis.* Ego bene spero, præsertim cum accedet clamor sanguinis, qui ex Vulneribus manuum, & benedicti lateris defluit. Adverto ex vestris vultibus, ex ardentibus oculis, ita vultis orare, proinde millies spero, firmissimè, Salvator noster non permittet nos damnari. Ita, credimus esse infernum, sed liberabimur nos, pro quibus sanguis Christi clamat, non vindictam, sed misericordiam.

§. 5. *Impossibile est, ut damnetur amator Iesu Crucifixi.* O quàm grandis est Deus noster, cui servimus, quàm bonus & misericors est Jesus Crucifixus, quem amamus, quàm mitis, patiens & longanimis, quem in SS. Eucharistia hic adoramus, satis est, ut sciam, quod me amet, pro me peccatore in Cruce mori voluit. Itaque mi Jesu, cum S. Gertrude (licet sit infernus) cæcis oculis me projicio in sanguinea tua brachia, & irruo in sinum divinæ tuæ misericordiæ, cæcis oculis ingrediar sanctissima Vulnera tua, & benedictum cor tuum; credo esse infernum, sed & hoc credo impossibile esse, ut pereat, & damnetur, qui in te confidit. Credo, spero, amo mi JESU.

§. 6. *Fundamentum fiducia nostra sit amor Iesu Crucifixi erga suos Sodales.* Accedit ille amor, illa cura, quâ Salvator noster sollicitus est pro suis electis, quos sanguine emit, & acquisivit, quos tuetur, ut pupillam oculi sui, quos amat ut Mater unigenitum filium suum. O mi JESU, cum hâc spe, & fiducia, quod me ita ames, iterum me projicio inter brachia tuæ misericordiæ, ut in illis vivam & moriar secundum sanctissimam tuam voluntatem. Habeo spem in sinu, & corde meo, quæ me solatur & dicit: Ora ardenter Rosarium sanctissimorũ Vulnerum, pete ferventer à Salvatore tuo gratiam sanctæ mortis, insta, obsecra, obtestare, ne permittat te damnari, non negabit. Si videatur primâ, secundâ, tertiâ, centesimâ vice, se non audire, clama fortius, clama millies, vult rogari, vult urgeri, tandem

non

non negabit quod petis, ſalvabit te, & liberabit te ab inferno. Ipſe poteſt te ſalvare, ſcit te ſalvare, & vult te ſalvare, quid times? non timeo, ſpero: repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo.

Arripite Roſarium Sodales, firmemus nos hoc fune ad Crucem Chriſti. Et quis nos inde ſeparabit? Mundus? non. Peccatum? non. Mors? non. Infernus? non. Anguſtiæ mortis? non. Nihil in æternum nos ſeparare poterit à Chriſto Jeſu Crucifixo, cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

Tempus eſt, ut incipiamus orare Roſarium.

EXHORTATIO X.

PRO MENSE OCTOBRI.

Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

Matth. 5. cap. v. 12.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

SUpponit actum fidei, de Cœlo & Paradiſo: cujus memoria nos excitare debet ad ferventem Orationem.

§. 1. *Articulus fidei eſt, dari cœlum.*
§. 2. *Suadet anima pia elevationem mentis ad cœlum.*
§. 3. *Actus fidei de exiſtentiâ Paradiſi.*
§. 4. *Affectus admirationis, circa magnitudinem cœleſtis gloriæ.*
§. 5. *Quæ parata eſt Amatoribus Crucifixi.*
§. 6. *Sperat anima pia, ſe fore participem illius gloriæ.*
§. 7. *Proſecutio, cum propoſito ferventer orandi.*

§. 1. *Articulus fidei eſt, dari cœlum.*

SAt diu me, & meos Auditores detinui in conſideratione inferni, quâ conatus fui, me, & meos Sodales excitare ad ferventem orationem Roſarij SS. Vulnerum Salvatoris, obtinendam hanc gratiam, ut non permittat nos damnari. Tempus eſt, ut aſcendamus ad cœlum, ut

Piis cogitationibus evolemus in dilecta illa tabernacula, in beatas illas mansiones, ibique videamus illam mercedem, quam DEUS præparavit diligentibus se. Ipse Christus Dominus vocavit copiosam. Credimus nos morituros! credimus Christum fore nostrum Judicem. Credimus esse infernum pro impiis, consequenter credimus esse cœlum pro piis. In cœlo quoque inveniemus prunas & scintillas, quæ corda & linguas meorum sodalium inflamment, ut Rosarium nostrum recitemus devotè.

§. 2. Suadet Animæ piâ elevatione mentis ad cœlum.

Eja, anima mea! aspice cœlum! vivâ fide penetra nubes, dilacera cœruleas cortinas, transi stellarum, planetarumque globos, imo Sanctorum, & Angelorum choros, neque sistas, donec videas te stare ante thronum Sanctissimæ Trinitatis, ut inde videas gaudia, quæ in terris nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Videre! si hic mundus, carcer noster, locus captivitatis nostræ, exilium nostrum, vallis lachrymarum ob amœnos hortos, ob pulchra palatia, verbo, ob creaturarum pulchritudinem, domus est tam jucunda & formosa, qualis erit illa domus, ille hortus, ille paradisus, illud palatium, illa civitas, quam ædificavit Dominus, ut ibi radios gloriæ suæ ostendat electis, non in umbra, non in ænigmate, nō in tenebris, sed in luce, in gloria, de facie ad faciē, ubi ipse Deus erit speculum! quales ibi erunt deliciæ? Percurrite soliloquia S. Augustini, invenietis suavissima desideria, dulcissimos affectus, quos pulchritudo illius loci in ardentissimo illo corde excitavit, erga habitationem tam pulchram. Cum ego illam his diebus nonnihil consideravi, sensi tenerrimam devotionem, ardens desiderium, ut modo in hâc Congregatione recitem devotè Rosarium sanctissimorum Vulnerum, illo fine, ut aliquando, cum Dominus venerit, & pulsaverit, confestim surgam, & aperiam illi, & cum illo per ostium & januam sanctæ mortis, hoc est, per ostia sanctissimorum Vulnerum intrem in æterna tabernacula.

O amabilissime Redemptor! Credo fide vivacissimâ! est veritas infallibilis! si tibi serviam, si te amem & diligam, si moriar in gratiâ tuâ, & ego accipiam mercedem æternæ gloriæ in cœlis. Hoc credo, quia tu ore tuo Sacrosancto, pauperibus, mitibus, pacificis, filiis Dei, promisisti regnum cœlorum! O me felicem! si moriar in gratia, si sanctâ morte egrediar ex hoc mundo; videbo te mi JESU, non in Cruce, sed in throno gloriæ, facie mea videbo faciem tuam, quæ Seraphinos accendit, videbo in gloriâ, gloriosissima tua Vulnera. Ut sperem hanc felicitatem majori cum fiducia, quamdiu ero in hâc vitâ, millies aspiciam Salvatorem meum in Cruce, millies salutabo rosea vulnera, qualia fuerunt in monte Calvariæ, millies eorum recordabor, in hâc recordatione sub his salutationibus, cum his piis & amorosis aspectibus, recitabo meum Rosarium sanctissimorum Vulnerum honori & amori consecratum.

§. 4. Affectus admirationis, circa magnitudinem gloriæ cœlestis.

O pulchra & sancta Sion! quàm gloriosa nobis sunt dicta de te! intra tuos muros, ex crystallo, ex auro, ex gemmis,

gemmis, & margaritis videbimus DEUM noſtrum ſicuti eſt, & Chriſtum Regem in gloria ſua. Videbimus, & videre deſiderabimus in æternum. Deſideria augebunt gaudia, gaudia accendent iterum deſideria, & deſideria noſtra erunt ſine privatione, & gaudia ſine tædio, & faſtidio. O ſancta Sion! in te ergo, in habitatione tuâ ſanctâ, erimus in poſſeſſione omnis pulchritudinis & felicitatis, in pace æternâ, in ſcientiâ admirabili, in gaudio ineffabili, in ſecuritate perfectâ, in luce lucidiſſima, in dulcedine inenarrabili, in gloriâ incorruptibili, in amore dulciſſimo. Videbimus DEUM qualis eſt, ſine interpoſitione veli, vel nubis. Radij divinitatis penetrabunt oculos noſtros, & ſimul illos confortabunt, ſimul elevabunt ad contemplandam magnificentiam DEI noſtri, & erimus illi ſimiles: natabimus in abyſſo, & Oceano gloriæ, & deliciarum. Cognoſcemus potentiam Patris, ſapientiam Filij, bonitatem Spiritus S. Hæc credo!

§. 5. *Qua parata eſt amatoribus Crucifixi.*

Verum quibus patebit aditus ad Sanctam Sion, niſi illis, qui timent DEUM, & amant Chriſtum Salvatorem? qui clavis ſanctiſſimæ Crucis nobis cœlum aperuit. Hoc ipſum eſt, cur toties ſtatuam, & proponam timere DEUM, ſervire Domino, & amare Chriſtum Crucifixum. Hoc ipſum eſt, quod me movet ad ardentes preces.

§. 6. *Sperat Anima pia, ſe fore participem gloriæ cœleſtis.*

O Sancta Sion, permitte mihi dulcem hanc moram, erit, ut ſpero, cùm ingrediar tabernacula tua, modo hærebo in monte Calvariæ, ſub palma Crucis, neq; enim etiam hîc deſunt dulces fructus, & cœleſtes deliciæ. O animæ piæ, ecce patent oſtia vitæ, patent oſtia Vulnerum Salvatoris, ingredimini, videte & guſtate, quàm etiam hîc ſit ſuavis & dulcis, donec guſtemus, & videamus, qualis ſit in gloria. O Seraphini, O Cherubini, O Sancti omnes! gratulor vobis, quod in cœlis ſtetis coram throno divinæ Majeſtatis æternùm beati, nos interim juxta Crucem Crucifixi ſtabimus, & orabimus. O Sancti Dei, bibitis vos de torrente voluptatis, nos interim adhuc libenter guſtabimus fel & acetū, vivitis vos in monte thuris, manebimus nos interim cum ſpōſo Crucifixo in colle myrrhæ, vos Deū laudatis & amatis inter roſas, nos laudabim⁹ & amabimus Chriſtū Crucifixū inter ſpinas. In cruce, ſub Cruce etiam ſpinæ ſunt roſæ.

§. 7. *Proſecutio, cum propoſito, ferventer orandi.*

Sed eſtne poſſibile, ut ego vermiculus terræ, ut ego miſerabilis peccator, aliquando cum Beatis Angelis & Sanctis in cœlo, videam Deum meum, æternùm quoque beatus? non difficulter hoc credet, qui credit, Filium Dei ſuo ſanguine, & morte Crucis mihi emiſſe cœlum, & immenſam hanc felicitatem. Itaque credo eſſe paradiſum pro me, credo, quod Salvator meus mercedem magnam mihi parat in cœlis, gaude & lætare anima mea, introibimus aliquando in domum Domini, videbimus Deum, ſi tamen hæc ſors nobis obtingat, ut moriar morte ſanctâ. Hanc gratiam conabor obtinere vitâ ſanctâ juxta ſtatuta hujus ſanctæ Congregationis, & devotâ oratione Roſarij quinque Sanctiſſimorum Vulnerum. Quidquid mihi deſidero, cupio eſſe commune meis Sodalibus, itaq; orate mecum, ut aliquando in cœlis Deum æternùm laudemus.

EXHORTATIO XI.

PRO MENSE NOVEMBRI.

Annos æternos in mente habui.

Psal. 76. v. 6.

Synopsis Exhortationis.

Actus fidei de Æternitate, accendit Orationem.

§. 1. *Summa excellentia cœlestis Gloriæ, est ejusdem æternitas.*

§. 2. *Rosarium quinque sanctissimorum Vulnerum est pium & jucundum Canticum.*

§. 3. *Damnati æternum ululabunt, Væ!*

§. 4. *Sodales Agoniæ orant Æternitati.*

§. 5. *Mundus suos coronat spinis, Æternitas beatos rosis.*

§. 6. *Pia opera alicujus Sodalis, sunt semen æternitatis.*

§. 7. *Oratio nostra peragi debet vigilanti studio.*

§. 8. *Sancta mors, est porta ad beatam æternitatem.*

§. 9. *Æternitas sine fine.*

§. 10. *Affectus amoris ergaChristumCrucifixum.*

§. 1. *Summa excellentia cœlestis Gloria, est ejusdem æternitas.*

Corona, perfectio & complementum gaudiorum Paradisi, de quibus nuper egi, est Æternitas. O speciosam, & pretiosam coronam! quale enim gaudium erit Sanctis, dum se videbunt beatos, sine ullo timore unquam perdendi illum thesaurum! sine ullâ gaudij vel gloriæ imminutione! quia nunquam æternùm cessabunt frui DEO, in gloria, quæ nunquam marcescet. Corona æternitatis, sicut nunquam accipiet finem, sic semper erit virens ac florida. *Exultate justi in Domino,* inquit regius Psaltes Psalm. 32. v. 1. *Quia justos decet exultatio. Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione.* S. Augustinus legit, *in jubilatione.* Et quid est canticum novum? respondent alij, *hoc est admirabile, non adhuc auditum, insolitum.* Alij dicunt: *Renovatum, instauratum, seu continuum,*

quod

quod Sancti cantabunt in cœlis, sine fine dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus. S. Augustinus cit. versum sic explicat: *Ut semper jubiletis, & gaudeat cor vestrum & immensa latitudo gaudiorum metas non habeat syllabarum.* Immensum scilicet est, de quo gaudent Sancti in cœlis, ideo in continuo sunt jubilo, æternaliter in gaudio, æterni in Dei possessionne.

§. 2. *Rosarium quinque SS. Vulnerum est pium & jucundum Canticum.*

Quid nos interim Sodales Charissimi in hâc lachrymarum valle; Credimus æternitatem! speramus nos fore aliquando participes cœlestis beatitudinis. Itaque, interim in hoc exilio cantemus & nos canticum novum, canticum pium, canticum plenum devotissimis affectibus, intelligo Rosarium quinque sanctissimorum Vulnerum, cujus oratio Christo Crucifixo, est suavissima Musica. Sed hoc canticum, cùm in hoc exilio non possit esse continuum, debet suis temporibus renovari, restaurari, ut scilicet novo fervore, & renovatâ devotione recitetur. Cùm regius psaltes in cit. psalmo dixisset, Annos æternos in mente habui, statim subdit: & meditatus sum corde meo, dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi; Et propter hanc ipsam causam nos hic modò congregati sumus, ut Sanctissima Vulnera meditemur cum cordibus nostris, ut suavissimè illa salutemus, ut per illorum merita, recitatione piâ Rosarij, obtineamus sanctam mortem, & per illam ingrediamur beatam æternitatem! in quâ æternis annis gloriosissima Christi Vulnera in jubilatione contemplabimur.

§. 3. *Damnati*

O infelices damnati! ululate vos! canite in æternum vestrum Væ! Væ! nam vester ignis ardebit æternum, & vos ardebitis in illo! in inferno tenebræ sunt æternæ, æterna fames, æterna sitis, &c. vermis conscientiæ vestræ vivet æternum, & vos cum eo æternum vivetis, æternum moriemini, æternùm maledicti! in inferno in longissimam æternitatem non audietur alia Musica, quàm Væ! Væ! O mi Jesu, audi modò nostrum canticum, audi clamorem cordis nostri, quo clamamus, per sanctissima tua Vulnera, ut ab igne æterno nos liberes. *æternum ululabunt Væ.*

§. 4. *Sodales agonia orant, Æternitati.*

Zeuxes, celeberrimus pictor, morosè, tarde, & diu pingebat suas imagines: rogatus causam, respondit, Æternitati pingo. Fieri potest, ut qui videt meos Sodales tantâ frequentiâ quot mensibus concurrere ad hanc Congregationem, ut simul & devotè altâ voce, conjunctis animis orent Rosarium sanctissimorum Vulnerum, cogitet, quæ causa tanti concursus? devotionis tam insolitæ? orationis tam seriæ? respondebo ego pro omnibus, æternitati oramus. Mox primâ & secundâ decade salutabimus vulneratos pedes Salvatoris, & ferventer, ut in omnem æternitatem beati illa intueamur. Modo id facimus cum gemitu, cum lachrymis, in amaritudine cordis, ut idem aliquando faciamus in jubilatione in æternum. (sic perge de reliquis SS. Vulneribus.)

§. 5. *Mundus suos coronat spinis, beata æternitas, Rosis.*

Ite vos filij Vanitatis, & hic vos coronate rosis; æternitas vos coronabit spinis igneis, ite, ridete modò, flebitis æternùm. Valete prata & horti hujus mundi, cujus lata & spaciosa via ducit in perditionem. Eja Sodales, alteram

viam arctam nos teneamus, quam sanguinea vestigia Salvatoris nobis ostendunt ad montem Calvariæ, ad sanctissimam Crucem, hic coronemus nos spinis, æternitas beata coronabit nos rosis, affigamus nos hic Cruci cum Crucifixo, hic in horâ mortis liberabit nos, & deducet ad montes gloriæ æternæ. Itaque æternitati modo orare volumus nostrum Rosarium.

§. 6. *Pia opera alicujus Sodalis, sunt semen æternitatis.*

Pulchrè dixit Sanctus Bernardus serm. 15. ad Cler. *Non transeunt opera nostra, ut videntur, sed temporalia quæque veluti æternitatis semina jaciuntur.* Itaque, modica v. g. voluptas damnatorum, illis fuit semen & causa infelicissimæ æternitatis, idem cogitate de quovis peccato mortali, ob quod aliquis damnatus æternùm ardebit. Pœnitentia verò beatorum, lachrymæ, gemitus, orationes, opera bona omnia fuerunt semina æternitatis beatissimæ. Quæso Sodales renovemus, instauremus nostrum Canticum sive orationem Rosarij sanctissimorum Vulnerum, recitemus illud novo fervore. Quot dicemus decades, quot Pater & Ave, imò quot verba, quot renovabimus desideria, & cogitationes pias de morte & agonia Christi, tot in terram benedictam sanctissimorum ejusdem vulnerum jaciemus grana seminis, ex quo messis gloriæ æternæ nobis progerminabit. Quot proferemus verba, tot Christo D. offeremus rosas, quibus in gloriâ nos aliquando coronabit Æternitas!

§. 7. *Oratio nostra peragi debet, vigilanti studio.*

S. Greg. M. l. 11. in Job. hoc aureum monitum nobis reliquit. *Vigilanti curâ per cuncta opera intentio nostra pensanda est, ut nil temporale in his, quæ agit, appetat: sed totam se in soliditate æternitatis figat. In omnibus ergò operibus tuis esto perfectus. Ora, stude, patere, certa, labora æternitati. Vive DEO, vive cælo, vive Æternitati.* Obsequamur quæso modò aureo monito S. Gregorij, in recitatione nostri Rosarij. Vigilanti curâ pensemus nostram Intentionem; cogitemus quid velimus petere; nihil temporale, sed magnam gratiam, mortem sanctam, & per hanc veluti ostium, ingressum in felicem æternitatem! pensemus simul, quâ devotione talia petere debeamus. O si permitteretur hâc horâ à divina Clementia alicui animæ damnatæ redire ex inferno hâc horâ ad nostram cõgregationem, cum spe liberationis à pœnis inferni, si oret ferventer hoc Rosarium, quid putamus? quomodo oraret? facilius ego hoc possum cogitare, quàm verbis exprimere. Neque id in æternum fiet. Nobis conceditur hæc gratia, ut vitâ sanctâ & ferventi oratione liberemur ab inferno.

§. 8. *Sancta mors, est porta ad beatam æternitatẽ.*

Mihi est axioma certissimum. Æternitatem fœlicem non ingrediemur, nisi per mortem sanctam. Æternitas pendet à morte! qualis mors, talis sequetur æternitas! Et hæc est causa, quare cum gaudio sim membrum hujus sodalitatis, quare velim ex hoc momento incipere amare Christum Crucifixum, quare statuam devote orare Rosarium sanctissimorum Vulnerum, O mi Jesu! tuo honori! tuo amori! ut mihi concedas mortem sanctam, ut per illam, & ostium dulcissimi tui lateris pateat via & ingressus, in longissimam, sed beatam æternitatem!

§. 9. *Æternitas ſine fine.* Omnes ſæpius audiviſſe arbitror modum, quo aliqui arithmetici conantur numerare aliquo modo annos æternitatis. Sit mons ingens ex meris arenulis, pertingens uſque ad nubes: quovis anno avicula auferat unicam arenulam, & devenietur tandem ad ultimam. O felices damnatos, ſi tum foret finis pœnarum. Sed tum iterum incipiet æternitas. Sic diſcurrunt de guttis maris, de foliis arborum, de numeris arithmeticæ. Sed fruſtra; finis vel ultimum in æternitate repiriri non poteſt. Non permittit tempus inhærere huic diſcurſui. Credimus verbis æternæ Veritatis eſſe & fore æternitatem, & quia hoc quoque ego credo, impoſſibile eſſe ut æternum pereat, qui credit & ſperat in Chriſtum, qui amat Jeſum Crucifixum, dico & incipio hoc momento amare illum ex toto corde, &c.

§. 10. *Affectus amoris erga Chriſtum Crucifixum* O mi Jeſu, quot arenulæ ſunt in illo monte, quot guttulæ in Oceano, quot folia in arboribus, quot numeri in Arithmeticâ, tot ego deſidero corda, ut cũ omnibus te amem, & amem æternũ! tot ego cupio linguas, ut illis ſalutem ſanctiſſima tua Vulnera, tot affectus igneos! ardentes! tot cogitationes ſanctas de tua paſſione, de tua agonia, de tua morte, ut cum illis devotè recitem meum Roſarium, ut mihi, mi Jeſu Crucifixe! & meis Sodalibus æternum parcas! ut propter nomen ſanctum tuum non permittas nos damnari, nec ſeparari à te, ut æternum te amemus & laudemus, Amen.

EXHORTATIO XII.

PRO MENSE DECEMBRI.

Diſce mori.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

AMor JESU Crucifixi, eſt ſignum & omen felicis, & ſanctæ mortis.

§. 1. *Pia allocutio ad Sodales, num orare velint ferventer.*

§. 2. *Aurea devotio eſt, inter pia deſideria oſculari Crucifixum. Optimum omen ſanctæ mortis.*

§. 3. De-

§.3. *Descriptio Arboris Crucifixi.*
§.4. *Suavissimi Affectus ad Jesum Crucifixum.*
§.5. *Piissima mors Cardinalis Bellarmini.*
§.6. *Et S. Edmundi.*
§.7. *Et B. Victoriæ.*

§. 1. *Pia allocutio ad sodales, num orare velint ferventer.*

Dicite Sodales Christi in Cruce Agonizantis, sive Filij Crucifixi! affectuosius vos compellare non possum. Dicite, agitisne serio, dum cogitatis, Oratione Rosarij quinque sanctissimorum Vulnerum petere à Salvatore vestro sanctam & felicem horam mortis? dicite: illa suspiria, O bone Jesu exaudi me, intra tua Vulnera absconde me &c. Illæne obsecrationes & obtestationes Mi Jesu! per tua Vulnera, per pretiosum tuum sanguinem, per dolores afflictissimæ Matris tuæ &c. hæc inquam suspiria, hæ obsecrationes, & similes, proceduntnè ex corde, ex fundo pectoris? Verbo, desideratisne sanctè & feliciter mori? Merito puto vos admirari hanc quæstionem, cum ad hunc finem nomina vestra jusseritis inscribi albo sodalium hujus Congregationis, cum hâc intentione huc conveneritis, ut fervente oratione Rosarij hanc gratiam à Christo Salvatore obtineatis. Bene habet, discite ergo mori, id est, hâc exhortatione auream à me discite devotionem, vel præparationem ad talem mortem. Diligite Christum Crucifixum ex toto corde, ex totâ mente, ex totâ animâ, ex omnibus viribus vestris. Hunc amorem alias frequenter inculco.

§. 2. *Aurea devotio est, inter pia desideria osculari*

Modò hoc moneo! In signum amoris interni, sumite quandoque vel ex pio libello, vel ex altari domestico, (dum soli estis, in conspectu tamen DEI,) imaginem Crucifixi, cogitate cùm sponsâ, esse fasciculum myrrhæ, imponite pectori, stringite brachiis, includite cordi, figite oscula amoris, repetite ante dictas obsecrationes, Mi JESU, per tuam mortem, ne me deseras in horâ mortis, habete hanc devotionē pro infallibili omine mortis bonæ. *Crucifixū. Optimum Omen sanctæ mortis.* Miraculum naturæ est, si verum est, quod refert Monardes in hist. Indica cap. 74. crescere in Peruviâ in Potosinis sive auriferis montibus, arbusculam vel plantam, cujus ramusculus aliquis, certo indicio, ægrotanti vel mortem vel sanitatem annuntiat. Si enim æger oblatum hunc ramum alacer & lætus amplectatur, si cum gaudio quodam pectori imponat, si oscula figat, omen id est certissimum convalescentiæ. Si animo mœsto, & languidis ulnis eundem excipiat, si in rami hujus præsentiâ nullus naturæ lætantis motus vel affectus advertatur, præsagium id est imminentis mortis.

§. 3. *Descriptio arboris Crucifixi.*

Desideratisne Sodales mei, signum ex quo colligere possitis, vos morituros aliquando sanctè & feliciter, vel impiè & infeliciter? ecce in altari arborem sanctissimæ Crucis, ecce Salvatorem vestrum Crucifixum! hic est arbor vitæ, rami pulcherrimi, sunt vulnerati ejus pedes! rami salutiferi, roseis respersi guttis sunt expassa & Cruci affixa brachia benignissimi Patris. Flosculus pulcherrimus, rosa pulcherrima in hâc arbore est roseum & transfossum latus atque Cor Salvatoris. Sponsa hos ramos, sive hanc arbusculam vocavit fascicu-

fasciculum myrrhæ, colligavit S. Bernardus, in eodē fasciculo virgas, spinas, clavos, Crucē! Agite Sodales, imponite illum cordibus vestris, cogitate jacere intra vestras ulnas! Quid stupes impie & scelerate peccator? Spiritus sanctus, vel Angelus tuus Custos, in memoriam tibi revocat tormenta, quæ pro te Salvator tuus in trihorio Crucis sustinuit, & brachia tua languent? & friget sanguis? & cor tuum durum manet atque immotum instar saxi? & non ruis in genua? & nullum sentis modum cordis contriti? Cave, time, omen hoc est certissimum mortis infelicis, quæ te manet.

§. 4. *Suavissimi affectus ad rerum Crucifixū*
Aliud adverto in oculis & aspectu meorum sodalium! adverto, stringitis hos ramos vel fasciculum cum fervore! ni fallor, desiderium vestrum est, ut sitis soli cum JESU Crucifixo, in antro sanctæ Magdalenæ, vel spelunca plorantis sancti Petri, ut ruatis in Crucifixi amplexus, ut oscula figatis sanctissimis ejus Vulneribus, ut suspiretis, O bone JESU amo te! ah! cur summum bonum unquam offendi! Fili David propitius esto mihi peccatori! Sic pergite, sic stringite Crucifixum, inflammate vestra desideria, repetite hos affectus millies, repetite flammeas obtestationes, JESU per tua SS. Vulnera, &c. concede nobis sanctam mortem. Sodales amantissimi; si hi affectus procedant ex corde hilari, & læto, cum quodam solatio, cum ingenti fiducia in Christo, ne dubitetis, habetis omen infallibile mortis sanctæ.

§. 5. *Piissima*
Probatum est sancto Cardinali Roberto Bellarmino. Quam devotionem in vita habuit erga Crucifixum, *mors Car. Bellarm.*
illius imaginem de die sæpius venerando & osculando, ostendit etiam in agone. Ultimi morbi tempore effigiem sui Crucifixi perpetuò tenebat inter brachia; dum ultimos mortis sensit assultus, detracto sibi pileolo, manu tremulâ, Crucis simulachro iterum iterumque caput consignavit. Subinde imposuit humeris, quasi bajulans Crucem ingredi vellet iter æternitatis. Denique imposuit pectori & cordi, & sic suavissimè expiravit. Itane & vos mori desideratis? discite sic vivere, & mori. Dum sani estis, discite à me auream hanc devotionem, erga imaginem Crucifixi. Arbor illa est, vel ramus est, qui mortem felicem & infelicem portendit.

Efficacia hujus rami probata fuit, ut aliàs insinuavi in sancto Edmundo. §. 6. *Et S. Edmundi,*
Sacro oleo inunctus in ultima mortis lucta Crucifixum, mira pietate, & suavissimis oculis fuit amplexatus, præcipuè Vulnus Lateris & Cordis Salvatoris, identidem anhelans his verbis: *Ex his fontibus hauriam in gaudio aquas vitæ æternæ!* sic expiravit! O mortem pretiosam! O mi JESU, sic & ego mori cupio! ut sic moriar, Christum meum in Cruce amplectar millies. Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Idem facite, Sodales, hic fasciculus est præsagium mortis sanctæ.

Cum hoc ramo inter brachia mortua est illa Monialis, quæ sex ultimis mensibus vitæ, tempore morbi ferè §. 7. *Et B. Victoria*

F con-

continuò osculata fuit Crucifixum, repetens millies versum illum beatæ Victoriæ:

O Jesu! mi dulcis Amor! nil diligo quàm te!
Tu meus es sponsus! mens mea sponsa est.

Hæc dicens inter amplexus Crucifixi mortua est. Tale loquimini Sodales, sic amplectimini hunc fasciculum myrrhæ, & profecto illi nobis Jesus dabit nobis petitiones cordis nostri! præsertim modo sub oratione nostri Rosarii.

F I N I S.

INDEX ALPHABETICUS IN EXHORTATIONES.

Litera E. denotat Exhortationem.

G. S. Ger-